

Dictamina

Table of contents

1.

[Page 33r]

Diligendo sibi tamquam intimo amicorum domino Tali de civitate Florentie Talis, Aretinus terrigena salutem et affectum totum et operam honoribus suis et comodis exponendam.

Circa vestri filii negotium utiliter deducendum, cui, discipline scolastice tradito, me vestra sinceritas in baiulum subiugare *Note: Subiugare o subiugari*, parola corretta su rasura voluit et custodem, fidelis consultor, studiosus admonitor et [voluntarius] extitit laborator. Ipse vero a paucis retro diebus nimium corruptibiliter vitiatus, salubribus incipit recalcitrare admonitis velut asper, sanum spernit consilium et necessarium auxilium non implorat, dum, miserabili quadam perversione seductus, salutifera preterit et accipit erumosa. Dolens itaque actenus circa ipsum velud inutiliter laborasse, cuius temerariam et effrenem lasciviam nequeo pro libito cohibere, ac etiam maioris culpe obrobrium fugiens, que male gesta sunt actenus nolui sub taciturnitate ulterius retinere. Ut saltem obesse non videar, dum videor non prodesse, me igitur consulente, festine accedere, si libeat, procuretis quod, si de beneplacito vestro proveniat, ut suis in antea debeam vilitatibus evacare, ipse, paterna compellente formidine [attentius] solito meis consultationibus acquiescens, honestis monitis pareat et utilium mandatorum honera non horrescat, quatenus, a turpiter inchoatis ingressibiliter resipiscens, studium cum festinatione repeatat, quod iam pene penitus, non sine rerum et dierum dispendio, pretermisit. Si vero ipse, forsitan in sua pertinacia ostinatus, circa turpia et dampnosa contumaciter, more solito, perseverare maluerit quam consilio sapienter accedere saniori, vobis et ipsi amicabiliter condolebo in talibus; criminari tamen non potero, ubi sincera fides et actio me excusant.

2.

Optimis affectionibus diligendum dominum Talem de civitate Aretii Talis Florentinus terrigena felicibus et iocundis successibus non carere.

Redditur anxia, redditur admirabiliter pariter et [stupenda] lictera quam misistis, in qua de moribus et natura filii paterne credulitati contraria referuntur, dum partem legitur elegisse contrariam qui vestris penitus *obtempnerare? obtemperare?* nutibus credebatur, et quamquam spiritum sinceritatis vestre turbaverit quodammodo, dum stulte repudiata iuvenilis simplicitas se moneri, fervor tamen caritatis eximie, quam, patris gratia, geritis circa prolem, tepescere non poterit nec debebit. Quo minus, solitis circa illum admonitionibus insistentes, malleo [correctionis] assidue indomite cervicis proterviam conteratis, [infamiter] patrie [Aretine] incuriam petiturum in proximo prestolantes, ut omnium investigata radicitus veritate malignitas increpata pro meritis peniteat, et doleat enormiter deviasse et omne dissolutum et devium ad modum et statum ydoneum reformatur; nichilominus eum, ut in aliquo repugnare non debeat, sed obedire humiliter votis vestris, duxi propensius altera sibi destinata pagina [premonendum].

3.

Talis civis Tali filio, et utinam digno nomine filiali, benedictionem quam meruit pro salute.

Homo totius puritatis et fidei, utilitatis nostre benivolus emulator, dominus Iohannes de civitate Aretii, tibi post meam absentiam traditus in baiulum et alumpnum, dum ipsius cogitatus sedulos et labores, quos circa tue gubernaculum iuventutis hilariter e?x *Note: x aggiunto in interlinea, forse da mano diversa? pendebat vanis curis et infructuosis operibus irritares, volens tuis malivolis obviare principiis, sed non valens, patris absentis sub dampnoso silentio noluit defraudare fidutiam, dum filii detrimenta perpenderet et taceret, ne male molitis vitiis, que iugiter in peiora subcrescere videbatur, serotinum post iacturam remedium puniretur. Illo igitur intimante, qui bene novit et debuit testimonium reddere veritati, multa, sed non omnia, tuorum male actenus presumptorum stilo licterali exposita didici et credidi tamquam vera. Itaque ut subrei in loco sermone te aloquar, me velle noveris firmiter et iubere quatenus viro prefato, cui ?tui te? te tue indevolutionis enormitas odibilem merito intulit et ingratum, confestim reconciliari acceleres, in primis humiliter postulata venia de offensis, prouinde suis omnibus, qualia et quanta precepit, votis et impositionibus pariturus; alioquin ad patriam quam male incolis Aretinam *Note: Scioglimento incerto cum celeritate venturus, singulariter investigabo que gesseris et, postquam de singulis reddideris rationem et penam subire pro meritis, meritum te iudicium coercedit, ut commissa impunita non [transeant] et committendi de cetero libitum tibi auferat pena? pene? dolor.**

4.

Caro sibi pre ceteris domino Tali terrigine Florentino Talis de civitate Aretii sincere semper voluntatis obsequium cum salute. Comorans filius in partibus alienis, qui sompno deditus vitorum ut ebrius, in lectulo pestifere [voluptatis] dormitans, clamantibus aliis non poterat expergisci, subito, per Dei gratiam vestra vociferante pagina excitatus, pretere maledictionis repudiare cepit consortium quod amabat et, factus denuo sue salubritatis nudus et honoris, studiis vigili cura et opere non desinit insudare scolasticis, quibus fuerat effectus inmodico inopinabiliter alienus. Iterum ad agenda solito more non prosilit ut festinus, sed meo semper consilio [premonitus,] provida deliberatione preponderat quicquid agit, dum sibi me utiliter adesse considerat, quem sibi sincerum copulari non dubitat in amicum: de quo ea michi progrederit corporis et mentis hilaritas, que fere maior non fieret [ut Note: Non va esclusa la caduta di una più ampia porzione di testo] si michi proprie filiationis commertium ligaretur. Sublatis igitur omnibus sinistris de medio, quibus

[Page 33v]

olim paternus animus alteratus [devium] revisitare proponebat, nisi alia postmodum specialiora subierint, ab Aretino itinere continere potestis indemniter pedes vestros.

5.

Suo reverendo preceteris genitori domino Tali Talis de civitate Florentie apud Aretium licteris traditus informandis personam sibi et animum ad singula reverentem. Avidus paterne dilectionis et gratie, ire indignationis timidus et furoris vestrorumque mandatorum non immemor, quem baiulum, quem alumpnum, quem curatorem sollicitum, sicut vestra confidebat paternitas, opinabar, domino Iohanni de civitate Aretii fideliter obedire in nichilo pretermisi. Dolus tamen lactitabat in animo cuius dulce propinabat in auribus lingua melos quod, qui pastor fidissimus simplicis sperabatur [ovicule] factus subito lupus rapax, dum sibi locus aderat, exercendis malignitatibus non parcebat. Ipsius ergo nequitia multis signis et actibus, multis dampnis meis et gravibus semel iterum atque iterum deprehensa, lesus pluries, sed amplius ledi nolens, hominem repudiavi consulere, qui solum infideliter consulebat, quod, procul a suo calamitoso regimine segregatus, nolo sibi de cetero subiacere. Dolens autem in intimis quod, sue sibi pravitatis [itinere] interrupto, nequit malignari pro libito, ut solebat, in me proinde suam immeritam concipiens ultiōrem, odium genitoris in filium sinistris suis et dishonestis relatibus studuit concitare, malivolam premachinatus epistolam vestrīs nuper aspectibus intimandam. Animi tamen sinceritas innocentis et omnium suarum objectionum imunitas ab omni suspitione me liberans, ab incursu paterne indignationis et verbere tuebitur me indemnem, quod mea [litterature] probitatis aviditas, declinans pro viribus ostacula studiorum in quantum vires ingenii patiuntur, se studiis continuandis [habilitat] et laudabiliter proficere gratulatur; ut tante igitur mendacitatis obrobrium in suum finaliter redeat inventorem, omnibus [investigandis] oretus que sunt gesta vel expedit venire genitorem ad genitum, vel ad patrem filium proficisci.

6.

Intimo sibi socio pro meritis [honorando] domino Tali Talis salutem et semper fructuosis proficere et semper proficere moribus et semper fructuosis proficere moribus et doctrina.

Nova et inopinata negotia novas curas, novos michi labores et varios addiderunt, ita quod, nequiens studium, velud opinabar, repetere, coactus, scilicet, rebus aliquandiu domesticis superesse, singula rerum mearum relicta vestre custodie gubernanda, Iohanni [portatori] presentium, [fratri] meo, postulo resignari. Et ecce quod, ad maiorem evidentiam et faciliorem negotii levitatem, cartam [cedulam] singula nomina rerum continentem? manibus vestrīs afferet manus eius.

7.

Spacialissimum carum suum dominum Talem Talis semper gerere feliciter se ac sua.

Benivolentie vestre licteris receptis alacriter et cogitis?cognitis,? diligenter protenus res vestrās in integrum de mea in fratris vestri transferens potestatem, non dolere non potui, dum in vestre [me] eque pariter utilitatis et commodi decrementum attenderem, [sinceritatem] vestram ad studium regredi presentialiter non valere. Consulo tamen, nichilominus induco, vos domestice rei negotiis celerem determinationem imponere ac temporis admittendi dispendio sagaciter precavere. Ad omnem tamen vestre candide dilectionis eventum utinam semper prosperum et iocundum adssum corde sincerus et opere preparatus.

8.

Borru de Borris Mediolanensis civis, Dei gratia potestas Aretii, Armondus Bononiensis, eadem gratia capitaneus populi Aretini, XII Antiani, universus populus, consilium et commune consiliariis et communi Luciniani dilectis suis salutem et consuete benivolentie stabilem firmitatem.

Sapientia peditum, fide purum, [discretione Note: Lettura incerta] conspicuum, moribus elegantem et experte probitatis animo communum virum nobilem Guielminum Soprapari, civem nostrum, inter maximos maximum, inter humiles humilem, inter providos et fideles locum sibi honorabilem vendicantem, regimini vestro per anni subsecuturi spatium baiulando prefecimus unanimi voluntate, per eum non irrationabiliter providentes tractari fideliter, salubriter et augeri universos et singulos terre vestre, quam inter loca cetera comitatus in omni dilectione precipuam reputamus. Ipsum igitur quanta decet cum hilaritate suscipe, quem nostra vobis fiducialitas recommendat, sibi proinde obsecuturi fideliter, dum sui regiminis perseverabit officium, feliciter, auxiliante Domino, terminandum.

9.

Magnifico et prudenti viro domino Borro de Borris Dei gratia potestati provido et excuso, militi domino Armondo, eadem gratia capitaneo populi Aretini, Antianis XII, universo pariter populo et consiliariis et communi Aretii honorandis admodum et timendis universi et singuli castri Luciniani terrigine fervidum et devotum obsequium integra cum affectione salutem.

Liquidis innotescat operibus quam debite, quam sincere nos diligt,

[Page 34r]

qualiter nostra desideret commoda et honores communitas Aretina, dum nostra et nostrorum sollicita procuratrix fidem precogitat et [discretionem Note: Lettura incerta] in homine cui portandum gubernaculum terre nostre securius recommendet. Satis igitur gratiosum et utile reputantes quicquid circa nostri deputationem regiminis ex parte vestra noviter est provisum, dum Guielminum Soprapari, pro futuris temporibus de beneplacito vestro traditum, nostris benegerendis negotiis in rectorem unanimi et sollempni cum gratulatione recepimus, sibi more subditorum ad dominum libenter et fideliter parituri, ita quod pro tante dilectionis inditio quam promte comprobant et utiles actiones. Ad grates multifariam referendas assurgimus, ob hoc retenti discretius vestrorum imposta prosequi libitorum.

10.

Singulari portui et tutele sue, videlicet [genitrici] pre ceteris honorande, domine Tali, suo victrico, immo patri, amando filialiter et timendo domino Tali de Oliveto Talis apud Florentiam, salute spoliatus et gaudio, desideratum gaudium et salutem.

Qualia sint et quanta patibula captivorum non didicit qui calicem carceralis amaritudinis non gustavit. Ut calamitas igitur inexprimenda quam patior terminetur prius quam diem mee liberationis preripiatur in carcere dies mortis, dum morti consimilis in [pendulo] vita manet, pia genitrix, pius victricus pereuntem filium recolat et privignum, ut mater [maternali] pro debito videatur in filium et victricalis benignitas patris morem exerceat in privignum. Non est enim maximus numerus neque parvus x librarium quantitas minutorum que, si solvitur, frangit compedes, carcerem reserat et eripit captivatum; minor autem quantitas meam decarcerationem non impetrat, sed ab inde velut frivola repellitur et innanis. Vestre itaque sollicitudini et valori, aggregato suffragio amicorum, prefata quantitas, mee scilicet liberationis efficax reparatrix, paretur quam celerius et mictatur, ut, redimentibus vobis, interitum preparatum effugiens et libertati pristine restitutus, in obsequiis vestris, dum fuerit spiritus vitalis in corpore, prionior et fidelior perseverem.

11.

Tales de Oliveto, mater et victricus, tali sincerius diligendo filio et privigno salutem et inseparabilem spiritum tempore adversorum.

Laboribus nostris labores amicorum subdidimus, ut tibi celeriter quam postulasti pecuniam mitteremus quesita; tamen potentia fervide non affuit voluntati, ut paululum prolongaretur imposterum, quod magis cito fieri sperabatur. Tibi ergo, quas nondum integrasse valuimus, in presenti non mittimus x libras, securum et hilarem nichilominus existere te volentes sumam ipsam firmiter habituram in integrum dierum XV numero non deducto X autem argenteos de manu recipias presentium portitoris, dum tue tibi [liberationi] totale pretium destinare poterimus tue necessitudini profuturum.

12.

Excellentissimo ac triumphatori magnifico domino Corrado Dei gratia Romanorum in regem electo semper agusto, Ierusalem et Sicilie regi Tarlatus olim Tarlati de Petramala civitate comitis tam debite quam voluntarie fidelitatis obsequium et se totum ad pedes audacter, sed fiducialiter commendatum.

Vestre prosperitatis et glorie inextinguibili ardore succensus, quam dextera summi regis feliciter in longeva tempora protegat et augmentet, tacere non valeo quotiens me opinor utiliter loqui posse, divina utique cohoperante potentia, cuius beneplacitum omne perpenditur, ut nutui vestro subiaceat orbis terre, iam pro nobis utiliter Tuscorum immutata conditio adeo plene se vestris honoribus habilitavit et commodis, ut ipsius provincie liberimus pateat aditus totaque subeat felicitas ad obtentum. Proinde universitas fidelium Tuscie suditorum clamitat una voce dicens: 'Veniat rex ille dignissimus imperiali diademate coronandus, veniat et leviter sibi totum obtineat quod quodam modo particulariter est divisum.' Ne igitur quod est facile fieri possit non facile propter moram, vel personaliter advenire, si [placeat,] vel necessarie fortitudinis brachio commonitum legare vicarium regalis magnificentia condignetur, cum nulli sit dubium quin statim, aveniente domino, vel legato, prava quamlibet in directa et in vias planas aspera convertantur. Ad hec michi ceterisque fidelibus Tuscie felicitari gaudentibus culmen vestrum et vestro fideliter subiacere imperio [preparatis,] vestrum exponere dignemini et imponere libitum et mandatum, solidam retenturi fiduciam quod, qui dive memorie imperatori felicissimo patri vestro domino [Federico Note: La parola, malamente ritoccata dal copista, lascia leggere con probabilità solo un *orum* con segno abbreviativo sovrapposto. Non ben leggibili invece i due grafemi precedenti] fidei fidelitatem et operis actenus reddiderunt, sub vestre maiestatis dominio respirare feliciter avidissime prestolantur, ut inclitam devotionem ad filium opere manifestent quam [Note: Lettura incerta gessere dudum fideliter circa patrem. Michi autem in obsequiis vestris, dum posse aderit, promtissima fides et actio non deerit.

13.

Viris insignibus dominis Guidoni Novello et Simoni, Dei gratia comitibus Tuscie palatinis, Borrus de Borris Mediolanensis, Dei gratia potestas Aretii, Armondus Bononiensis capitaneus populi Aretini, Antianorum XII consilium, universus populus et commune salutem et integre dilectionis et honoris pariter libitum et affectum.

In succedenti die

[Page 34v]

dominica, que primo se nobis attulerit, universale ac publicum celebratur colloquium de veteri consuetudine terre vestre gratum decorum et utile reputamus, ut tanta nostre communitatis solemnitas sibi sentiat et gaudeat vos adesse, quos pre ceteris nostre terre benivolentibus et coniunctis precipue nec indigne decernimus requirendos. Preoccupato igitur tempore ad adcessum adveniat ?ut [Note: aggiunto in interlinea, forse da mano diversa? intersit desiderata vestre sublimitatis presentia convenienter, ut postulat res et tempus, nobis universis et singulis uberimum reportatura solatium et amicitie nostre communiter hinc inde maiori cum sollicitudine nutriende materiam, hoccasionem et habilem parituram.

14.

Sensu plurimaque nobilitate pollutibus dominis Borro de Borris Dei gratia potestati Aretii et Armondo capitani?capitaneo? populi Aretini, XII Antianorum consilio, populo et comuni specialibus amicis suis Guido Novellus et Simon, Dei gratia comites Tuscie palatini, affectum sincere dilectionis et operam cum salute.

Fuit pro certo amicabile, fuit gratum, non tamen expediens, vel necesse, [nos] vestre noviter sinceritatis lictera visitari, qui nichilominus, lictera missa, vel nuncio, vel non missa, plenarium veniendi libitum gerebimus. Involuti tamen negotiis, quibus sane supersedere non possumus [effectui] libitum non mandamus. Parcite igitur impeditis nosque semper adesse cordibus credite, licet corporum distantia dividamur, gavisi et cupidi ut ex processibus vestris presentibus et futuris?futuris? vobis, nobis et aliis patrie benivolis Arette honoribus et geminata utilitas acquiratur.

15.

Amicorum fidissimo domino Tali [Senensi] Talis Aretinus sucessum in omnibus salutare.

Indigeo. Indigent ergo succurrere. Latori presentium, caro michi, fido michi et intimo, sarcinam mee procurationis gerenti, XXV libras Pisanorum daturi, necessario michi pre manibus habendorum, cautione previa quantalibet; intimaturi preterea, quid gratum, quid utile, quid conforme operari valeo votis vestris, totum per me hilariter sine mora pro viribus faciendum.

16.

Aretino concivi domino Tali honorabili plenius et amando Talis Senensis Senensis salutem et obsequendi utiliter diuturnam pro viribus actionem.

Vigintiquinque librarum peccuniam, licteris vestris expressam, hilaris et festinus exhibui licteras deferenti, nec plurimum fuit expediens numptium, fide tociens et opere cognitum, pro compendiosa peccunia [licterarum] presidio communire, qui multo foret ampliori negotio sine licteris impavide preponendum. Longe minus igitur inserere licteris oportebat, ut potiori fide pura securitas pateretur, iam quasi dubitabile fieret non incertum.

17.

Honorabili viro suorum quasi benivolentium spetiali Aretino civi domino Tali Talis Senensis salutem et intime dilectionis animum et personam.

Nichil turbidum, nichil admirabile et ingratum sensibus vestris promoveat XXV librarum quantitas vestris petita licteris, sed non missa; hanc ere vacuu plus solito mee loculus [...] Note: Forse *opatice*, *oportere*, mittere non potuit qua carebat. At modicum substинere non tedeat: satis et etiam brevi spatio subsequente, diebus VIII videlicet, michi patria idem noto viro? proximus, doli [nescius.] fide purus preter dubium manibus nostris feret, breviori, aderit vestre necessitatibus subsidium peccunie integro destinato numero quo egetis quam aliquis idem.

18.

Discreto iuveni Petro legibus inherentib; Bonfilius salutem et iugiter bonis addere meliora.

Avida legi semel, autem et iterum repudiata videri actenus quedam michi venit epistula, ut sensisti, tacito nomine destinatoris incognito et sermonis potius quam epistularis compagis imitatrix. Tuis tandem delata manibus rediit velut efrons, in exteriori parte preintimans ut, quamquam sibi evenerit in querelam, quod primitus admissa non fuerat, de querula non querula fieret, si postmodum legeretur. Ego autem tedii subsecuturi presagus tanteque longitudinis fugitivus, factus contumax, factus pertinax et rebellis, ut recolis, adverti oculos, adverti aures et animum non induxi. Tu vero legationis forsan imposite fidelis et sollicitus prosecutor foris in specula, intus in curia, iterum super scalas, *interum?* iterum? foris sub porticu iuxta domum, auribus [inculcatus] {invitis} Note: Lettura incerta}, nunc aliqua tibi fortia, nunc aliqua fortiora, vel ingnarus ut disceres, vel forsitan rei conscius ut tentares prioris tu igitur epistule gerulus, qui, prenotatis inditiis, rei nec inscius crederis, nec immunis pro me, queso, responsoris legitimum morem geras, ut sibi gratiarum fasciculum repropines in gremium, qui tante utilitatis operam compilavit in paginam non rogatus.

19.

Magistro Guilielmino Bonfilius quicquid sibi.

Locorum intervallo dividimur, votorum tamen compagine iuncti sumus. Igitur opere pateat qua fide, quo animo nos invicem procul positos intuemur. Visa scriptura sribentis sit tibi cura, ut, Guilielmine, sint tua peste sine..

20.

Precordialis diligendis sotis eorum Talibus Tales fortune felicis gratiam cum salute.

Ab uno mense ulterius melle vacui, cera nudi, expertes cucari et omnium breviter inopes specierum, nos, cum ceteris apotecariis Aretinisi, adeo quod circa [ministerium] artis nostre omnino fere inutiles reddimur et inertes ipsarumque specierum reperta modicitas emitur pro libito venditorum, specierum huiusmodi binam, vel duplicem sarcenam illico negotiari vos volumus et illico destinare lucrum, prout confidimus ex incremento letificum reddituram et ut parate utilitatis negotium abundius deducatur

[Page 35r]

ecce quod L libras per manum latoris presentium peragende porrigitur emptioni, optantes vos semper valere salubriter et lucrabiliter rem augere.

21.

[Tali] et [Tali] [sotio] eorum [amabili] Tales iocundis semper et prosperis ducere lucri vitam. Spetierum Anconitana vacuitas et earum ibidem intensior caritudo Aretina indigere predictis verisimili opinione pretendit. Ne tamen sub inerti tempore nostre artis officium dormitaret, non votum, sed temporis qualitatem sequentes, de carioribus minus carum salme duplicitis quantitatem colligimus, Aretium cum celeritate transmissam, pretio mercium singularum suis patentibus signis expresso, curantibus nobis interea, ut plurimum specierum transmissio venditio Note: Ms. vendie i due grafemi seguenti coperti da macchia d'inchiostro preveniat transmissarum.

22.

Decoro militi et prudenti domino Tali Dei gratia potestati, consilio et universo comuni Perusii Rainerius olim Andree Iacopi salutem et adolere continuo iocundis et felicibus incrementis.

Callidis michi dudum persuadente [sermonibus] etatis antiquioris astutia, cui plurimum non fuit diffidere, meum seducere animum [iuvarem]. Ecce, elongavi fugiens non fugatus, factus sum noxius patrie innocentii, patriam pugnare non metuens, pro qua pugnare debueram contra omnes. Conscius ergo gravium, quibus iram merui, offendit, oculos elevare vix audeo pre pudore ad implorandam veniam de offensis; resummo tamen audaciam implorandi quam clara benignitatis vestre indicia [subministrant], dum, civem recuperare desperatum meditantes, qui, culpis facinoris prementibus, cesserat in non civem, offensis preteritis equo libramine non pensatis, viro uxorem et filium genitori solo benignitatis? benignitatis? admonitu redditis non compulsi; qui, si [meritis] equitas responderet, non solum filium et uxorem non reddere, iterum etiam virum et genitorem tam devium ultimo deputare suppicio curaretis. Bonum itaque vestre universitatis principium effectis [laudabilioribus] comitetur, ut delinquenti enormiter, sed [acriter] penitenti, michi, liberalem veniam indulgentes, redditum atque statum tam securum quam liberum subiungatis. Deviavi, sed penitet deviasse. Penitenti ergo dimittite et securum regressum et statum admittite reverentem.

23.

Suo genitori affectuosissime reverendo domino Alberto de Leontini Note: Ms. /eon con titulus su n Rainerius humilis filiorum et minimus apud Aretium traditus cultibus licterarum cum filiali reverentia dierum longitudinem in salute.

Cupidus et studiosus scientie licteralis, egenus tamen peccunie, sed paterne visitationis et sedulus ad filium diutinus prestolator turbor non modicum, doleo et stupesco michi, mensis decurrente iam spatio, a lare domestico aliquam scripturam, vel numptium non venisse. Crescit proinde turbatio, crescit dolor, crescit et admirationis materia non indigne, quod, a paterna memoria sic decisus, culpabilem occasionem non memini me dedisse. Cur mei circa licterale studium insudantis caritas genitoris et pietas minus solito debeat reminisci? Inordinatam igitur et pudendam, dampnosam et miserabilem vitam dicens, dum capona inhonesta et indecens cotidianum michi pabulum subministrat et poculum, cui duodena scolastica sotios copulare deberet scolasticos in sodales, presentem epistulam cum anxietate compositam vobis mitto, ut pro tollenda materia tanti dedecoris et [acture] ac pro studio continuando imposterum indigentie filiali quam citius paterna succurrere clementia condignetur.

24.

Innocentius et cetera venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac dilectis fratribus abbatibus prioribus archipresbiteris decanis et aliis ecclesiarum prelatis ad quos lictere presentes advenerint salutem et cetera.

Comendanda sunt vota Christi fidelium laude digna et honesta proposita caritatis auxiliis promovenda. Sane, dum Albertus clericus, lator presentium, propriam [conscientiam] intuitu spirituali revolveret dumque gravium pondere delictorum inspicret se oppressam, exteriorem hominem fatigare cupiens passibus fructuosis, qui circa inutilis dormitionis inertiam nimium iacuit otiosus, limina beati Iacopi visitare dispositus sub habitu paupertatis, immittaturus vestigia regis regum, dum rex ille ditissimus, inter homines adversatus, pauperem vitam eligeret, cuius terrestres et inferi subiacent potestati. Ne igitur supradictus itinere tam longo, tam arduo, deficere valeat pro sumptibus faciendis, cum preter cubitalem luculum et scarsellam secum de rebus propriis nichil ferat, eudem vobis in Domino commendamus, monentes et inducentes attente atque per apostoli sancti manum, quatenus in vestrorum remissionem peccaminum ipsum tante necessitudini subiacentem verbo taliter et opere substentetis in omnibus, que corporalis indigentia exigit, manum sibi propensioris auxilii porrigentes, ut suum ipse propositum Deo gratum efficaciter vobis quo [cohadiuantibus] prosequatur vobisque pariter tam honeste subvectionis largitio in extremo examine merito possit proficere ad salutem.

25.

Quem religiosus habitus, licteralis angnitio vigorque corporeus venerandum, laudabilem et spectandum insinuant viro Tali de ordine Camaldulensi Bonfilius veritatis amorem et erroris odium pro salute.

Fidelis numptius, de proxima vicinitate progrediens, novi dictaminis verbosam congeriem ex alienis aminiculis attulit mendicatam, in qua nichil apparebat de proprio, sed omne quod iacebat in serie totum se esse alterius fatebatur, ut nichil inventorum noviter ex se ipso nichilque pariter ex [subtilitate] ingenii proficiscens porriget insolitus stilus ille; solam vero confusionem inculcabat in auribus nec aliquid utile vel iocundum novitas illa implacida in animum commendabat et quoniam obscura totaliter esse non poterat ut volebat, dum significantis vocabulis uteretur, de inarticularibus vocibus nonnullas inseruit improvisa illa penuria dictatoris. Hoc tamen admirationem non partitur. Stilus et enim ubicunque monasticus, durus, in omnibus incultus,

[Page 35v]

inaprensibilis et obscurus. Discas ergo, karissime, prius quam loquaris in publico, ne, si forsitan equitare nescieris in humum ab alto prosiliens, circumstantibus pateas inde risum; caros insuper famosissimos apud omnes, de quorum industria nemini dubitatur, prosaico tuo quodam stilo et metrico improvide tentare non audeas, ut animus supervacue fortassis audacie conscius non redarguat in ultimo semetipsum et in pudorem non corruat, qui temere sibi decus vendicare nititur alienum. Hec autem sub modo destinata breviloco tibi pro responsione sufficient, ut alia vice non destinas talia que tibi nullum acquirere valeant corrivalem. Iterum, ut obscurius obscuriora subiungeres, trasmisi versus cum anxietate compositos et latebris totius intelligentie communitos, sed hec ex parte mea ingnorare non debeas quod, si michi manum libuerit intromittere ad opaca, in quibus te totum exhibeas studiosum, talia compositurum me assero quorum nulli mortalium patere poterit intellectus reservandis finaliter michi soli.

Cernere qui me [quit] non quit bene [cernere] te quis
dum verbis equis cuique patere nequis
quam facis est prosa cum carmine res operosa
res quoque spinosa nec fluit inde rosa
ut michi que nominis pateant si digna decoris
sint vel [dedecoris] pandito dicta foris.

26.

Cogit nos studere necessitas, utilitas persuadet et temporis gravioris se porrigit actitudo, ut dictare volentibus deinceps habilitata commoditas se conformet. Grandis profecto famelicorum est numerus nec misertus est aliquis super [turbam,] dum non habeat quid manducet. Surgite itaque, surgite, o egeni, et venite ad epulas nec ulla vos dilatio negotiosa detineat, si sane mentis consilium vos gubernat. Ecce enim inclita fama clamat et opera non tacent opificem fame respondentia clamitanti, ut evidentia postmodum experimenta vos doceant qualiter et quantum prepolleat, qualem [mensam] paraverit, quibus et qualibus confertam delitiis, quid liccatorie refectionis convivium vos invitat. Tollatur ergo de medio, si fieri potest, emula queque proprietas, que sublata recto iudicio censebamus universa tunc etenim bonitas bona videbitur, malitia vero mala; tunc error fugabitur et veritas invalescat. Cedat pro tempore, queso, infidelium detractio magistrorum, qui, dum aliut [obloquentur,] sentiunt aliut in damnum persone melioris et odium lesa conscientia non verentur consulere sibi subditis in perversum. Vos utique, o scolares, venistis ad nundinas, quatenus excellentissimas merces de nundinis reportetis, sed quid expedit vobis in huiusmodi foro mercantibus, ut ipsa vos negotiatio licteralis prodigos inveniat, non [avaros,] dum pecunialem materiam investitis in mercibus lucrum incomparabile relaturis? Ego vero, si veris divitiis fieri cupitis locupletes, coacervatum [herrarium] auro plenum, quod ceteris generibus metallorum preeminet in valore, incipiā manu prodiga diffundere per egenos pro necessitate petentium singulorum congrua beneficia relargiturus. O felices divitias, o in estimabiles facultates, o vere divites divitiarum talium possessores, que disperse redeunt, date crescunt, retente pereunt et vilescent, nec unquam ita suos reficiunt gustatores; quin semper ad plura sollicitent appetitum. Igitur cavete, karissimi, qui ponere vultis in solidum pedes vestros, ne, dum vestram imbecillitatem substantiat regimen [alienum,] per dolose suggestionis umbraculum aliquis inaniter vos seducat, ut non rudis rudis Note: *rudis* dittografia e lascia pensare a una caduta più ampia quale potrebbe essere: *non rudis rudi, rudis rudiori/rudiori choereat, sed potius erudienda ruditas appetat eruditum.* Ego enim in medio vestrum sum positus et, ne vestra periclitetur simplicitas, in occultis ambulantibus in tenebris resero viam lucis, dictamen congruum, proprium et decorum potentialiter et libenter in utilitatem omnium ostensurus.

27.

Domino [Guidoni] [iudici] Messanensi Bonfilius honoris et heris desideratum cumulum cum salute.

Mutavit locum, mutavit celum qui [abiit]; amicitie tamen pristine animum non mutavit. Nimis autem preteriit abeuntis memoriam qui remansit, cum nullum postmodum benivolentie memorialis inditum solitus amicus expresserit de patria Messanensi. Ne vero supervacue duritiae protervas me vobis in talibus innuat simulandum, dum michi absenti vestreque salubritatis avido nichil scribitis nichilque vestre continentie intimatis, hanc tenuem destinavi epistolam, de cuius veridica intimatione colligite me corpore vigere incolumi prosamque colere famosumque prose opificem reputari, presertim cupidum ut aliqua licterali compagine

vestre vestrorumque communiter felicitatis numptia semel saltim [promerear] refoveri.

28.

Suis plenarie metuendis parentibus et colendis Talibus de Liciniano Talis apud Aretium studio traditus noxiali qua caret successum longeve ac continue sospitatis.

Pupugit novi doloris aculeus intima cordis mei, pupugit acriter et pungere non desistit. Et merito: nam die Veneris in mediate preterita talem iuvenem in patria nostra progenitum a meo dissociavit consortio inopinata quidem acerbitas dire mortis, quem vite morumque suavitas michi pro meritis in socium et amicum potissimum copulavit. Ceterum insatibilis nimium et inmitis mors horrida alterum sotiorum tam subito subripuisse ab altero nec verita, nec contenta, ut sub temporis brevioris curriculo utrosque sibi rapiat patrios et gemellos suis me sinistris prenuntiis assidue citare non

[Page 36r]

desinit dum michi langorem, ut creditur, inexpugnabilem patienti eventum suum celerrimum de hora in hora continuo comminatur. Paterne igitur dilectionis sinceritas filii revisionem acceleret gravissime laborantis, quod, sicut casuale huiusmodi negotium exigit prenotatum, sic pater pro filio de non patria citissime ad patriam deferendo necessariis rebus adveniat [communitus].

29.

Quod tue nobis prosperitatis iocunditas merito succedit in gaudium, benivolentie tue dolor necessario nobis provenit in dolorem. Non igitur doluisse nequivimus, dum, tua pagina denuntiante, novimus te languere. Meritas ideoque reddimus tibi grates quod personaliter vos adire ab egritudinis stimulo non permissus, ad nos idoneum destinare provideris successorem filium tuum, videlicet honorabili consortio preditum ab introitu nostre oportunitatis ad exitum constanter et viriliter [persistentem,] ubi nos utique facti [multifaria] debitum in tua commoditate persolvere, quotiens nos et nostra tibi postulare libeat, preparamur.

30.

Dominis sibi omnia reverentia preferendis Talibus, genitori et matri, Talis Bononiensis sospes et hilaris filiale obsequium tam debitum quam devotum.

Iuxta temporis spatium michi dudum in studio recurrentis utilitas subsequuta de studio, tempus commendat preteritum presens in lectione continuat ac legendi libitum suggerit adfuturum ut actenus utiliter studuisse congratulans in antea perstudere utilius introducar. Sumptibus tamen non [habitus] sine quibus hec vita non ducitur, cum delate pecunie numerus expendendo defluxerit, studenti preparatur obstaculum, ne absque subventu domestico continuare valeam in inceptis. Subveniat igitur patris et materna benignitas indigenti filio manu grata, quatenus transmissio peccunie numero competenti utilitas promovenda per studium debito fine non careat quam laudabiliter iam assuntum primordium prehostendit.

31.

Tales corpore sospites suo sibi carissimo filio Tali licterarum notitia inquirenti salutem et semper obtinere pro meritis utriusque parentis gratiam et amorem.

Ex licteris quas de patrie Arette latoribus a tua filiatione recepimus venientes, sensu propriis et ornatu suavibus, grandis in nostra profluxit precordia gratitudo, quibus, tamquam, ut credimus, veritatis suffragio roboratis, totius fidei animum inclinantes, ut tibi laudabiliter recurrenti per studium se nichil obiciat in [adversum], quo minus ad metam scientie pervenire valeas quam intendis, X librarum numerum minutorum tibi, qui sumptibus faciendis deficit, ut dixisti, manu presentium portitoris offerimus, cum quibus taliter negotiari te volumus, ut, grata nobis et utili negotiatione precognita de expensis que iis fuerint expendenda, in subsequens [promptum] et efficax subveniendi libitum inclinemus.

32.

Talis potestas Aretii Tali sindico communis eiusdem salutem et amorem.

Licinianensium lingua pauperum male de te loquitur, eo tibi specialiter detrahens quod, dum a nobis tibi officium deputatum prosequeris, iuris licto pretermisso itinere, nimium ad extrema digradieris, per medium recta linea non procedis, debito qui plus divitibus deferens, cedis illis, ut placeas dora pauperum, quorum tibi, ut referunt, non est cure pauperies, opprimens supra [vires] etiam dum collectam, quam totius terre collegio per te, nostrum in hac parte vicarium, imponendam decrevimus, imponis et colligis, sic te [habens,] ut asserunt, quod taxationis debite modulo non previso, sine quo bene ad talia ordinari non poteras, gravia invalidos humeros et leviora validos more quodam insolito ferre iubes. Ut cedant igitur dubia, certa subeant et omnium pateat veritas, que feruntur, alloqui te personaliter volumus, qui nostram te adire presentiam infra triduum obventu presentium iusso tibi precipimus firmiori.

33.

Fide purum et operatione sollicitum specialissime sibi carum dominum Talem de civitate Aretina Talis rector ecclesie talis loci semper vivere bene sui compotem et suorum.

Ad plebem noviter pro capitulo celebrando accessi; Talis, etiam vestre notitie subditus, domi pro custodia providenda remansit; accedens igitur celebravi capitulum. Remanens patrare latrocinium non expavit, quod, *Decretalium*, quarum minor pretio non erat placiditas, sublato volumine, ac X librarum furtum augentibus, captande fuge presidio se commisit. Incertus ergo fugerit, sed inter dubia credens [quod] potius et furtum et hominem Arette patre genitura receptaverit, quanta valeo prece te postulo, quatenus circa ipsum nefarium serio inquirendum indagine sagaciori te moveas; quem si forte studio proficiente repereris, ex tunc, sollicite impetrata vi curie, dum [...] tempore breviori et venero, cura [ut] detineri facias inter arta.

34.

Velut {amico Note: Lettura incerta} et domino reverendo fideliter et amando domino Tali rectori ecclesie talis loci Talis de civitate Aretina iocunditatem post turbinem et gaudium post dolorem.

Etiam si iocundum non fecerit, redidit tamen sollicitum in placide relationis epistula quam misisti, ne animus non dolere potuerit qui merito dampna dampnis anumerare poterat vestra suis. Ut tante stilo gravedinis intimatione commotus totique sollicitudini prolattionis latibulo investigando latenter, canis more venatici leporem insequentis, furis vestigium inquirendi non sinerem dum in capturam non caderet inquisitus. Reperto igitur, capto sacrilego et detento per curiam qui nequitie tam infande flagitium attentatar vos advenire celeriter postulat rei negotium non tardande;

[Page 36v]

sacrilegus queritur, reperitur quesitus, repertus capitur et captus ne fugere valeat detinetur quem sensi proinde delicturus, licteris vestris promentibus, gravis furti malitiā presumpt̄ sumpsisse. Accedite Note: Con titulus sovrapposto at igitur nec mora incidat quam negotii qualitas non amittat.

35.

Pro meritis reputando maiori ecclesie talis loci Talis de civitate Aretina reverentiam pro debito pleniore.

Relictus dolor ex licteris, quin potius ex dampno licteraliter cognito quod habetis, velut magnus animi descendit ad intima cognoscentis, quo maiorem etiam rerum totidem propriarum sublatio non inferret. Factus igitur sollicitus hominem reperire qui substulit, studia laboribus subdidi, ut, labore sollicitudinis comite, negotium sine otio curaretur; tamen sollicite inquisivisse non profuit, non reperto qui latuit a facie inquirentis, sed, quamquam inutiliter laborasse contigerit, gratum tamen reproto tantum labore inutilem ex amici libito tollerasse qui amico gravia patienti compatiō, precipue cupidus ut prospere sibi cedat in omnibus singula recuperaturo finaliter que dubitat amisisse.

36.

Eorum reverendissime genitrici domine Lucie comitisse insigni Rainaldus et Cacciacomes vite scolastice deputati devotionis obsequium prorioris.

Et si iussibus maternis intendere totum votum et debitum nos inducat, eo maxime quod, [materno] prodeunte mandato, ad propria sic celeriter revocamur, maioris tamen utilitatis aspectu dicere audemus, si liceat, quod studium incoatum utiliter et utilius prosequendum tam cito dimittere non dubium nostris parit commoditatibus decrementum; et ideo prece potissima supplicat humilitas filialis quatenus ad premissa solite discretionis animo devoluto filiis profecturis in studio ab eodem in presenti secedere provida maternitas non imponat attendens, si libeat, quod animus dissolutus aed?a? studio ad idem non de facili religatur, et presertim quod, prosahice cognitioni iam dediti, de die in diem regulis iam prescritis, ad metrica manum mittere preparamur, profectum pariter?pari? favore dato divinitus in utraque.

37.

Insigni comitisse domine Lucie Bonfilius fomentum illati vulneris sanativum.

Si pro filio, quem [fratrum] impietas rapuit, de impiorum manibus eruendo principium celeriter sumpserit, medium constanter tenuerit vestra nobilitas, non est dubium quin pro voto finaliter recuperare valeat filium quem, multis hanela doloribus, dubitat periisse. Currite igitur, ut consulo et induco, more veltri celerrimi pro assequendo huiusmodi lepore fugitivo, nec lentescat in medio, nec pede lapso retro gradet, dum continuando stabiliter fugam leporinam non vincxerit venaticus canis vester. Videat proinde nobilitas ne, more debilium, principio fervat, medio tepeat, et algeat circa finem, de quo, veluti quibusdam opinor inditiis, fratrum versutia preconfusa tantum patrare facinus attentavit.

38.

Venerabili in Christo patri domino Ottaviano, Dei gratia sancte Marie in Via Lata diacono cardinali dignissimo, Lucia comitissa de Asinalonga, uxor olim Renaldi Guidonis Caciocomitis, socrus Neri olim Iacopi Skiatte et Alberti de Cona, cum debite ac devote subiectionis affectum et omnimoda [reverentia] [recommendat se ipsam].

Fidutie plenitudo que geritur et negotialis necessitas que imcumbit per pagine presentis aspectum stilo lacrimali prodeuntis ad notitiam vestram deducere me inducunt quod, [cum] filium meum quandam, materno animo unicum, licet unum ex tribus, sed supremo desiderio singularem, nuper scolasticis documentis tradiderim informandum ut, scientie copulata nobilitas, nobilior fieret ac [decus] subsecutore militie insignem morum genere geminatum inter milites alios clarius eniteret, fratrum minorum de Aretio insatiata rapacitas, ubi scientiam assequatur in studio, non puerilem, non simplicem animum verita, diuturno blandiloquio previo, eum libito sui ordinis inclinatum suisque latibulis interclusum, confessim in odium Dei et hominum et imensam infamiam habitu vestire non metuit et abradere, pro dolor, in tonsuram. Sublato itaque filio, quin immo amisso et utinam potius mortuo, quem in mariti defunti solatium michi nature fecunditas dederat consolande, de cuius pariter incremento spes amicorum omnium propendebat, viduitas monaco Note: Su rasura michi Note: Lettura incerta per filium sic sublatum continuatis gemitibus inconsolabiliter me confundit. Stans igitur in medio procellarum ~~hoc naufragii portu~~ portu appropinquo, ne obruat in profundum animo et corpore, languida medele peto subsidium, ne patiar morbi casum. Ad quem ergo configiam, ad quem sub tante confusionis periculo me convertam nisi ad dominum Ottavianum, cardinalem dignissimum, velut portum fidissimum et medelam, sub cuius efficaci presidio perdita per totum et anxia spem gero infallibilem respirandi, prece qua valeo supplicans quatenus, a summo pontifice gratia necessarie dispensationis prehabita, impetrare dignemini licteras quibus fratres iam dicti loci tante audatiae tanteque nequitie consci et actores sub excommunicationis vinculo arceantur, quod, statim eisdem visis licteris, puerum sic deceptum doceant inveniri et faciant, et eum ubicunque inventum minister provincie statui pristino restitui facere sub eadem sententia compellatur.

39.

Venerabili in Christo patri et cetera Tarlatus olim Tarlati de Petramala civis Aretinus cum integre recommendationis affectu et se ipsum illi fide sincera et opere subiacentem.

Dolore tactus in medio doloris satago [propulsare] patibulum ne nimium ledat illati mali diuturnitas patientem fiduciali. Namque plenitudine roboratus presentes celsitudini vestre destino licteras quibus nosse vos appeto qualiter pridem fratum minorum de Aretio rarissime audita improbitas animum simplicem

[Page 37r]

ac mobiliter convertendum aggressa Rainaldum, filium olim Renaldi Guidonis Cacciacomitis, iuvenem mansuetudine puerili dispositum et integra nobilitate pollentem, qui pro decore future militiae intendendo doctrinis licterariis nitebat, suis solitis seductionibus previis, ad libitum sui ordinis seduxit et libuit; et seductum statim sine deliberationis intuitu induit regulariter et totondit. Sentiens itaque dampnum inrecuperabile cum amicis dum recuperatus non fuerit iuvenis, quem nimium condolet amicorum totalitas sic a suis pueriliter deviasse; de pariter, veluti de felicis yndolis homine omne bonum et commodum sperabatur, quo etiam habito sue domus incolumis perseverat integritas et amisso domus eadem sibi et suis redditur [in amissam,] supplico et induco propensius quatenus pro tante spei tantique auxillii et favoris homine redimendo ne pereat apud sedis apostolice presidem, prout postulat negotii qualitas, dignanter necessariam curam et operam exponatis.

40.

Venerabili et cetera Albertus olim Alberti de Monte Acuto, Aretinus concivis, cum recommendatione plenaria obsequium voluntarium et devotum.

Necessitati potissime spetialior coniuncta fiducia me vobis tenore presentium non sine turbinis copia et doloris describere persuadet qualiter, dudum fratum minorum de Aretio fere penitus inaudita temeritas, Rainaldum filium olim Renaldi Guidonis Cacciacomitis de facili moveundum ut puerum ipsaque nobilitate tractabilem, qui future decus militiae licteris decorate in studio satagebat ad affectum sui ordinis blanditiosis colloquuis introducens, ipsum finaliter convertit ut voluit et conversum nulla deliberatione preambula ordini alligavit habitu et tonsura. Dolens ergo de proprio et communi commodo amicorum, quod etiam per predictum in seculo provenire multimode credebatur, quo adempto felicitas domus eius adimitur et redempto redimitur, vigor domus, imploro suppliciter, quatenus pro recuperando iuvene michi pariter et amicis incomparabiliter profuturo apud sumum pontificem quam decet cura et opere libeat exerceri.

41.

Audituris hanc paginam Bonfilius successum in omnibus hilarem et salubrem.

Rei publice Aretine navicula variis hactenus procellarum spiritibus agitata parabatur naufragium, timebatur periculum dum non esset qui regeret nec pateret portuale refugium naufraganti. Terrigenis itaque civibus et advenis se male habentibus cessavit studium, evanuit studendi commoditas, cum studialis locus et homines tanto et tali turbine quaterentur, sedato iam equore quod, dudum furore terribili extuabat, cum iam regende navicule nauta presit, gratuletur qui vacabat, qui doluit studeat, quod, studio recuperato feliciter, multa subvenit virorum peritia et multa rerum copia suffragatur. Sic tamen nostrum studium scientie cupidus promoveat, ut, de studio *continuande?* continuando? intendimus, tellurici cultoris vestigium prosequamur, qui semen non quodlibet, sed dumtaxat fructificum, telluris effectibus humilitate fructifícis deliberat committendum, ne male in lolium et avenas degeneret granum projecti seminis vitiatum, sed potius tellus subacta seminibus creditum semen multiplicato sub fenore suo fideliter repararet creditori. Sic ideo per exemplum homo profecturus ab homine, a non scolari scolasticus, ab agricola licteratus, aurem ab errore prohibeat, a nughis animum, libitum a laxivis, qui seminare utiliter cogitat semen suum; tellus et enim talibus occupata seminibus spinas utique germinabit et tribulos, laboris videlicet emulos et doloris. O, ut pudor inmodicus, quem parit ingnaritas aliquibus, sibi solis scientibus saperet, velut pudor ut, cum sapientibus saperent et sue presumptionis {exitum Note: Lettura incerta} providerent, sileret forte qui loquitur, subasset qui presidet vel magisterio cederet cui longeva competenter disciplina, dum quorundam infronta temeritas amica laudis, meritorum egena, virtutis nescia, sed vitorum improba propagatrix, suis non contenta complicibus, eludit quos ea pro libito destinare non metuit eruditorum auditui reseranda ex quibus, nec iocundo proveniente nec utili, tedium solum relinquitur et cakinnus. Nam rectorice abhusionis improbitas leta sibi, sed dampnosa sibi et aliis, dum male precipitat se ac suos, bona refugit, mala insequitur quod meliora reportat mala bonis. Ego igitur qui doctrinam hilarem sub ministro minoribus et a maioribus edocendus humilem subire non vereor disciplinam, licet semel et pluries ydiotas vocaverim et votati non venerint, iterum invito ut veniant pulcra dulcibus adita et honoribus copulata commoda relaturi.

42.

Totius religionis viro venerabili prouide tanquam patri fratri Tali de ordine minorum, totius ministro provincie Tuscie, sicut Guido Iordanis. Note: Ms. lordcon titulus, Capitaneus populi Aretini, Ançiani XII consilium et commune salutem et de mundi pauperie ad bonorum celestium copiam promoveri.

Subsecutore utilitatis intentio vestris auditibus intimandam presentium seriem porrigi persuasit, quibus tota cordium hilaritate asserimus quod, etiam etsi dudum populi Aretini totalitas fratrum vestrorum devotioni et ordini steterit intenta, fideliter pre infusa gratia celitus devotione maiori acceditur sedulo circa fratres et merito, [quia] idem populus, dum more solito [Montem] Solis petit et repetit spirituali cibario coalendus, radio solari non dubie illuminari se percipit verbis ibidem vivicis, quibus maxime indigetur ad animam uberrime propinatis; et quamquam actenus tam vocabulo quam effectum refulxerit, locus ille Mons Solis vocatus, qui veri solis, filii Dei cultoribus

[Page 37v]

habitum sacre religionis et opere celebratur. Cole tamen quodam adhibito, venerabilis fratris Andree presentia, quem inter alia sidera, more solis, ore, animo, moribus et exemplo spiritualiter [prominentem] clara bonitas bonum illius loci providere voluit in custodem totius loci residentiam plenius circumfulget. Nos utique qui locum querimus non gratia loci, sed hominis qui locum felicitat et meritis propriis efficit laude dignum, solita contenti custodia solitum volumus, ne forsan insolitum pro loco et fratribus esse minus utile solito doleamus. Ut omnium ergo fidelium in melius admovenda devotio quibus fratris supra dicti sedulitas saporem spiritualis solaminis placide subministrat fratrum et loci commoda producat gratulantius in augmentum petimus et rogamus quatenus in presenti capitulo vobis, ut presensimus, celebrando circa collegii Aretini custodiam aliquid innovare non libeat, ut qui tenuit teneat, prosit qui profuit, quo nullum eidem, immo prosit qui profuit, custodie succedere posse confidimus potiorem.

43.

Morum laudibus et doctrine colendo celebriter inter viros Magistro Petro Clusinensi canonico velut amico et domino suo sibi Bonfilius successum vite incolumis et longeve.

Solita laudabiliter agere nobilitas animi qua polletis pro me bonus sollicitudinis et laboris arripuit, ut, qui carus primitus habebatur [affectu,] subinde carior ab opere haberetur. Hinc ideo fortius inclinor ad gratias quanto gratius beneficium repto quod meritum non precessit. [Venirem,] si vocaret communitas, quamquam sufficere debeat favoris [vestri] securitas ut accedamus. Quicquid tamen evenerit, vester ero, dum corpori spiritus vitalis illuxerit quem interiora merita [puri] cordis et operis statuerent.

44.

Amico sibi et domino pro meritis reputando domino Pecciallino Burgensi Bonfilius vitam pro libito placidam et longevam. Cum finis assequendi cupiditas specialiter moveat cuiuslibet operis imceptionem quem feliciter obtinere non poterit nisi sedula fuerit celebritas operis incoati vos inter alios veritatis huiusmodi non ignari aliquatenus admirari me cogitis, tamdiu post horam regressionis ydoneam filium circa domestica detinentes in otio, quem instanter ad studium scolasticus locus vocat. Ut consulo, moram igitur pellite remittendi discipulum ad doctorem, quatenus lateri magistrali studiosus assideat more solito recepturus cum famelicis aliis pabula probitatis, quem procul a latere magistri assistere otiosum incommodum retardantis prenumptiat et animum turbat non modicum prestolantis. Ad vestra siquidem vestrique filii commoda, obligatus pro debito et invitatus de libito, ut amicus offero curam cum opere, libitum cum labore, usque ad annum temporis exitum {suis} satis facere profectibus intendendi, dum tamen vestrum, qui recipitis oblationem, huiusmodi votum conveniat offerentis.

45.

In extimabili probitate prelucido magistro Bonfilio Pecciallinus Burgensis salutem et integre benivolentie animum et honoris. Eventibus illis, qui tempore filii regredientis a studio [presistebant], variatis et [in] aliud mutatis iterum mentibus plurimorum et linguis, ut aliorum Burgensem, malivolis interiectis sermonibus et actibus deterioribus [subsecutis] in alterutros, periculosa hinc inde vulnera provenirent, cum, sicut ex relatibus publicis rei medium concipere potuistis, circa plebem sancti Stefani non ulla gesta sint actenus et gerenda in subsequens quibus alterum commune ab altero, Aretinum sicut a Burgensi, dissentire in aliquo parabatur, idem filius paterno presidio subiacens ne dubio subiaceret usque nunc temporis magis licite potuit agere circa locum domesticum sibi tutum quam celerius ad patriam redire scolasticam sibi quibusdam inditiis minus tutam. Quod etiam, si multum patris sollicite animum decus filii quod habetur ex lictoris sollicitat, magis tamen persone filialis prosperitas ut semper perseverare incolumis, patre iugiter vigilante, pro filio non desistat. Modicum igitur [admirare], vel minime, predictis rationibus intellectis, cum tumultuosa iam quelibet, divino libito cohoperante, qui evenerit suscipe filium vestro tradito magisterio in subiectum ad vestre sapientie copiam pro rudis animi depellenda pauperie reverentem ex cuius profectibus quibus solito more sollicite intendetis filii genitoris et omnium benivolentium utriusque sincera dilectio vestris acquiritur obsequiis in perennem.

46.

Sibi magis omnibus diligendis Talibus Talis plene iocunditatis habitum et vigoris.
Dulcedo patrie primitive, cuius memoriam continuo gero fixam in animo, michi regrediendi cupidinem inspirare non desinit, quatenus, qui tamdiu iam actenus circa domos extraneas gravium noctium et dierum ospitium mendicavi, desinam vagari ulterius, per vos aliosque benivolos taliter curaturus, quod post tante grevedinis vilitatem, vite melioris consilio succedente, circa larem domesticum continuare valeam inter meos. Suggero igitur et exoro quatenus pro reditu atque mora domi, dum spatium pascalium dierum duraverit, avido michi licite contrahenda, potestatis pariter et creditorum presentiam quam decet sollicite requiratis, ut in antea pro reconciliandis animis creditorum modo convenienti previo et tractatu omnibusque proinde interiectis litigii post spatium huiusmodi brevitatis subveniat perpes et placida quietudo.

47.

Sibi diligendo pre omnibus Tali Talis vite salutaris constantiam et iocunde.

Proposito, quod in mente geris laudabile, pretoris notitiam nobis referentibus attingente, velut benignus et hilarius annuit pretor nobis licentiam tibi dandam potentibus [quanti] velle licteris indicaras, ut dominica palmarum ad dominice resurrectionis octavam inpauidus

[Page 38r]

quandolibet redeas et moreris toto medio spatio, iniuriarum aliquid non passurus. Et, ut tibi te tribuat fidei plenioris constantia tutoirem, recipias ex portatore presentium manu lacopi notarii conditum publicum de indulta tibi licentia, inferri de molestia creditorum non metuens, quibus omnibus gratus regrediens reddieris, sed gratior moraturus. De *uitinere?itinere?* tibi ergo celeriter arripiendo provideas ad regressum, ut, quanto minus de spatio concesso decurrerit te regresso, tanto tibi tuis deinde negotiis intenturo productio temporis residui pars succedat.

48.

Reverendo patri tali priori Camaldulensi dignissimo Aconeius de Sogna, Ubertinus olim Gualterii et Gualterutius olim Ubertini Ubertinorum se ipsos plene in omnibus commendatos.

Sensimus, quod referre pudet, quod etiam non sensisse, quin potius non fuisse, precordialiter gauderemus. Nos tamen culpabilius extimantes vitium tacere quam dicere quod incognitum pululat, corrigitur agnatum et corruptum viam intercipit aliis ad peccandum, deposito pudore, referimus qualiter inextincta luxuries religiosis ascripta omnem libidinem superans, vere usu, modo et ordine pretermisso, illicitis rebus abutitur, agens ea que trepidus cogitat animus et lingua, ligamine pudoris implicita, male refert. Abbas enim Ambrosius abbacie nostre de Rota, donnus Ranerius et frater Petrus eiusdem damnationis participes et consortes, in ordinis monachalis maximeque Camaldulensem, infamiam in odium gentium et in suarum discrimen et plurium animarum, masculinum concubitum solempniter celebrant, ut nullum puerum, vicinum, vel advenam, ad monasterium [diver]tentem, sue pollutionis secedere permittant immunem, sicut pluries, tota parochiali vicina consciente, sonitus patrati sceleris circumstantium exasperavit auditum. Sacra ergo religio vehementer doleat in se ipsa que, nomine solo et habitu a pseudo cultoribus sophistice [palliata], nichilque vel modicum religiosi operis obtinens, turpiter cedit, pro dolor, in non sacram. His ideo tam inepte dispositis ad vestre prudentie summitatem, velud ad caput capitum et membrorum, merito recurrentum providimus, necessario deposcentes quatenus ad prefate abbacie presentiam quam cito personaliter accessuri, properanter succurrere dignemini tam infandis blasphemationibus subiacenti, ut, abbatis et monachorum huiusmodi longe detestabili consortio deputato, de abbatte digniori et monacis idem monasterium subinde reformatetur; alioquin ipsum [cenobium,] [fedissimi] [ceno] facinoris inquinatum, proinde in [drectum Note: Lettura incerta] humane [diffamationis] positum et exemplum, iugiter de malo in peius removebitur quod, hominum solita devotione privatum, nostri iuvaminis et favoris prorsus beneficio destitutum, tam graviter, sicut credimus, correuet, ut facilem relevationem non habeat post ruinam.

49.

Viro magnifice probitatis et glorie domino Guidoni Iordanis capitaneo populi Aretini et omnium Antianorum consortio Bartolomeus Nivolensis Florentini Capitaneus populi cum omnibus Antianis eiusdem salutem et presentis officii processum commendabilem egressum.

Difficile Martini latoris presentium, nostri civis amabilis, querimonia reserante didicimus quod apud Aretium, actenus bellico tumultuante dissidio inter cives, eidem capto ab aliquibus civium et tandem vi curie carceri mancipato, Ildebrandinus olim Guidonis Cacciacomitis, tunc ibidem residens in pretorem, libras XXV, vim pro libito inferens numerusque licitum pretermittens Note: Lettura incerta, extorsit. Pro quibus, sumptu adhibito et labore diutino, redimendis secutus ipse iustitiam fori vestri cum debitum rei finem finaliter assecutus non fuerit admiramur. Breviter ergo depositimus et extorta restitu et expensa refici plene sibi, ut sibi nobisque proinde satisfactio velut nostra redoleant utilia sua nobis; quod etiam, si fortasse inciderit absolucióne nostri communis sententia in eundem, nichilominus presentium seriem prevalere volumus pro eodem; alioquin nostra communitas de communi civium aliorum subveniet iure sibi, ut, licentiam sibi nobis integrum a [commodatur] et libitum si venerit sequestrandi commoditas bona vestrorum civium pro suis detinere valeat rehabendis.

50.

Sibi vinculo precordiali astrictum talem Aretinum civem Talis concivis eiusdem in Burgo Sancti Sepulcri nunc residens vivere feliciter et longeve.

Scire te firmiter aspectus presentium faciat corpore florere incolui et iocundo Magistrum Bonfilium apud Burgum ibidem, tam utili quam decoro discipulorum collegio solertie sue dogmatibus assistente. Note: Lettura incerta, resistat con "r" forse esputar. Esistat igitur, velut tuam fideliter duxi prudentiam inducendam, ut, quanto Iohannem filium tuum fervidius appetis erudiri scientia tanto celerius destines illuc ipsum, [memorati] doctoris repetitum peritiam quam sitit iuvenis, tamquam ceteris doctrinalibus pociis dulciorem confisus precipue de magistri fide ac opere [qui,] sicut asserit et affectat, solliciti et fidelis animi studium diriget in eundem, tam pro bono sue salubriter adaugende scientie, quam pro ceteris suis pariter et suorum commodis de bono, pro posse, in melius promovendis.

51.

Qui nomine fulget et merito singularis industrie gratia presignito magistro Bonfilio Claro de Gangareto salutem et se ipsum amabili voto et opere deditum sibi totum.

Quamquam lucide discretionis intuitus, qua pollere probamini ad iustum continuo et honestum promoveat pedes vestros quod, penitus evitato contrario, utile solum

[Page 38v]

sectamur et decorum, dum gerentes cuncta sollicite choartationis stimulo non egitis, fervor tamen inmodice dilectionis et fidei quam defero circa patrem et filium, Guilielnum videlicet et ~~pōngensem~~? Pogesem,? vestro traditum magisterio instruendum, hanc paginam aspectui vestro committere me induxit qua postulo, sicut vos ei licteris instituendo et moribus precipue cure studium adhibere ut, quam gero de vobis fiduciam pleniorum, sibi sentiat iuvenis in augmento scientie valitaram. Nam propriis bonis [ascripsero] velut gratum omne bonum quod ei gratis vel debite pro parte sollicitudinis vestre fuerit acquisitum.

52.

Viro spectabili et famoso domino Tali potestati et consilio Aretino Talis potestas consilium et commune Burgensium libitum serviendi spontaneum cum salute.

Parata ius suum iuvenique reddere Burgensis communitas expedire non videt, quin potius non dubitat, ut sui eminus in remotis trahantur ad iura terrigine, quibus ipsa tante benignitatis gratia non indulget, ut etiam alienigenis filiis unde cumque progressis aliquid iuris habentibus contra suos plenitudinem rationis fieri non compellat. Citatus itaque noviter per numptium vestrum Neratius, filius domini Pecciallini iudicis, inter alios nostros locum decorabilem promerentis, petimus et rogamus ut pro negotio simili ex parte vestra iterum non citetur, de quo si ab aliquo vestrorum fuerit coram nobis querela proposita nostrum ut vestro pro debito iuris? respondeat ad satisfactionem integrum compellemus.

53.

Cum omnibus iustitie pateat copia tam extraneis quam Burgensibus potentibus forum nostrum, non penitus opinamur ydoneum nostros vocari terrigenas, ut iuri parere debeant in longinquio. Citatum ergo noviter numptio vestro Neratium, domini Pecciallini Iudicis, inter ceteros nostros sublimiter extollendi pro intentione huiusmodi postulamus de cetero non citari omnibus de ipso querentibus de iure in integrum sub nostre congnitionis examine responsum.

54.

Viro laudabili domino Tali potestati Burgensi et eorum consilio Talis Aretinorum potestas et eorum consilium salutem et amicitie pure vinculum et constantis.

Ex page presentis admonitu de facile [rememiniisse] poteritis qualiter, altera nostra vobis premissa nuper epistula nostrum communiter libitum exprimente, lohannem, huius quem legitim portitorem, civem non inmerito carum nobis, vobis [attollimus,] adiecto non levi rogamine commendatum, ut, quam rationabiliter merebar attingere, rem promoventibus vobis actualiter obtineret, nichil ergo vel parum iustitie cive nostro sub foro vestro, ut asserit, impetrante, de quo dolere potuimus mirabile videri non debuit quod reddenda iustitia Burgensem vestrum duximus requirendum; sub fortune igitur melioris fiducia redit qui cesserat, quem confisi remittimus sub discretionis vestre iudicio sic tractandum ut, qui doluit actenus caruisse iustitia, gaudeat illam finaliter invenisse.

55.

Integra puritate amabili tali fratri talis non actu religionis, sed habitu, quantum boni appetit et honoris.

Ad te, dilectione intimum, fide purum et opere promptiorem, sicut longa experientia prodidit post habitam tue michi benivolentie noctionem, recurro, cum expedit, tota confidentia premunitus, modo te rogitans, quatenus, assumpta tibi necessarii laboris gravedine pro amico, reperire studeas quem, dubito perversse, librum eo tempore michi raptum, quo ab ecclesia sancti Georgii superveniens casus compulit me abesse quatenus reperto illico pro eodem etiam si minori numero recuperari non poterit XXV solidorum peccuniam impertiri non differas redimendo, quam cito notificans qualiter tibi cesserit de predictis.

56.

Domino Tali debite reverendo Talis fidem integrum animi diligentis.

Tenore cognito lictere quam misisti statim studium subivi cum opera, ut tibi utilis fierem qui fidelis existere non desisto. Tuo tamen libro non rehabito nec reperto, pro ?quo? videor inaniter laborasse, pro ipso denique sollicitus fore non desinam rehabendo, confidens Note: Ms. no (nota?) sovrascritto tra *retrahendo* e *confidens*; altra mano (vedi anche nella lettera seguente) quod sub tanto velamine [latere] non poterit quin suum tandem latibulum mee notitie reveletur.

57.

Amicissimo suo pro meritis Tali frater Talis non virtute, sed habitu, monacus cum salute gratiam divine celsitudinis et humanam. Deferet tibi quos destino lator presentium XXV solidorum pro meo liberando volumine quantitatem, quod, de furis manibus eruptum, eidem tutissime commiseris numptio, ab eodem michi fideliter afferendum, attendens Note: no(nota?) sovrascritto ad attendens in interlinea (vedi anche nella lettera precedente) firmiter, quod tuum propter multa me feceris, per presens commodum, quod gratissimum reputo, me tuorum adeo fecisti avidum commodorum, quod quanto michi volueris maiora iniungere tanto intendam libertius tuorum effectibus iniunctorum.

58.

Note: Questa lettera deve porsi prima della precedente

Digno reverentia et honore domino Tali Talis salutem et quicquid salute felicius dari possit. Libri tui latrunculo multa sollicitudine iam comperto, ut de proprio, sic de tuo totaliter hilaresco. Minori tamen XXV solidorum

compendio liber non redditur. Quem si tanto redimere libeat, venias vel transmittas fidei numptium ante late peccunie delatorem.

59.

Honorando patri domino tali Dei gratia Aretino electo talis divina miseratione Castellanus episcopus in eo salutem a quo provenit omnis salus.

Totius affectio puritatis quam circa latorem presentium presbiterum, Orlandum nomine, gerimus nos promovit ut eum nobis domesticum et coniunctum familiariter in dilectum nobilitatis vestre presidio commendemus. Eum vobis igitur commendantes, depositos quatenus, in causa que inter ipsum et alterum sub examine vestro discutitur, equitatis vestre iudicio decidenda, sic in eum respectu nostri candide pietatis oculum velitis dirigere, ut nos sibi efficaciter profuisse perpendat, dum pro ipso benignitatem vestram duximus descendam.

60.

Tutissimo portui pro amicis, honorabili militi et prudenti domino Castellano Burgensi Tarlatus de Petramala

[Page 39r]

animo suus totus et viribus augmentum prosperitatis et glorie iuxta votum.

Postulat ratio et honesta consuetudo corroborat ut unus ad alterum amicorum configuat, dum necessitas evidens cogit illum. Stimulo igitur necessitatibus impulsus, ad vos tamquam ad infallibilis spei subsidium plenam duxi quam defero fiduciam convertendam, et merito, dum neminem inter caros benivolentia vestra comperio cariorem implorans, quatenus michi, qui modo victualibus egeo, tritico maxime, {de Note: Lettura incerta} L vel saltim XL sextariis blade huiusmodi prestationis benivolentie gratiam in magne gratitudinis meritum erogetis pro me ?a? domino Tarlato terrigina et convicaneo vestro in tritico, quando vestrum extiterit libitum, rehabendo cautionem quantalibet accepturi.

61.

Egregia nobilitate decoro domino Tarlato de Petramala Castellanus Burgensis salutem et optatum in iocundis et prosperis incrementum.

Recepta hilariter quam misistis epistula, dum velle vos commodum de rebus meis assumere michi avido ad gaudium intimaret, tanto iocundior factus est tenor eius quanto per Dei gratiam volo et valeo, benivolentibus omnibus vobisque precipue, obsequendo, fieri gratiosus. Parata igitur, quam licteraliter exprestis, L sextariorum tritici quantitate pro ipsa penes libitum et maiori trasmictite frumento et aliis meis utilibus, quando vestra depositit commoditas, non parcentes.

62.

Integra sinceritate colendo viro magnifico domino Tali insigni comiti talis loci Talis, comes de tali loco augmentum honoris et glorie cum totius habitudine sospitatis.

Equorum et hominum satis ydonea indgens comitiva, ut iter longum arripiam ad remota, quo subortum denuo negotium tendere me compellit, meum, deprecor, equum remittite quem habetis dandum latori presentium ut reducat, quem [pluries,] si commoditas vestra poposcerit, habere pro libito et tenere poteritis, me regresso.

63.

Titulo nobilitatis egregie insignito strenuo comiti talis loci, domino Tali, Talis comes de tali loco cum perpetue salubritatis obtentu laudis amplitudinem et honoris.

De usu gratiose et utili equi vestri quem tenui plenitudinem referens gratiarum, michi, precor, impendite veniam si equi superfluous retentor extiterim, cuius retentio placidum subministrabat commodum retinenti, numptio vel scriptura quam citius describetis, si in agio vestro, et utinam feliciter, consumando de equo vel equis vel aliis rebus ydoneis valeo utiliter subvenire: nam, libito vestro precognito, parabo protinus cum celeritate suffragium et trasmittam?trasmittam?

64.

Generoso comiti talis loci domino Tali Talis comes de tali loco felicitatis perpetue firmitatem.
Doleo et dolori aliquid pudoris adicitur, quod equum vestrum, cuius noviter supervenit interitus, non remicto, quem modo maxime vos habere pre manibus velut vestro presenti negotio utilem oportebat. Eventus tamen huiusmodi vestre claritudinis animum, tamquam aliquid dampnousum evenerit, non inmutet. Nam vel parilis equus, vel potior, quem trasmittam, vel emptionis pretium quod persolvam in hac parte faciet vos indempnes.

65.

Noviter equus vester interiit: hinc doleo tanto magis et vereor quanto illum vestro illico assumendo interim fuisse necessarium non ignoro. Vos tamen in aliquo infortunium illud non moveat: michi soli quod accidit imputandum; nam vel equivalentis equus, vel prevalens, vel equivalentiam quam impendam cito vobis indempniter satisdabitur.

66.

Honorando sue merito bonitatis et amando propinquioris federe parentele nepoti suo Tali Talis salutem et augeri iugiter scientie curriculo et virtutis.

Ut tibi precipue pateant que tuam latere notitiam dedeceret tibi presentium obstensione significo novam filii mei Iohannis uxorem in proxima fore dominica traducendam, cuius nuptiarum tripudio sub Dei presidio feliciter agendarum tanto tibi competit melius et alacrius interesse quanto patruelie negotium tanta cum celebritate colendum absque ?nepotiani>Note: Lettura incerta? nepotiana presentia semi plene fieri videretur. Ut ipsis igitur nuptiis pro debito rei que agitur te offeras gloriosum, non tanquam solitarius venias, sed honorabili amicorum numero decoratus quatenus ibidem pluribus tecum presentibus, gaudium nostrum amplificet adjuncta nobis congaudentium multitudo.

67.

Futuris in proxima dominica nuptiis filii mei Iohannis ipsa die uxorem infallibiliter traducturi haberi expedit te presentem ut, assuntis>Note: La parola appare spezzata da un foro nella pergamena: assun/tis tibi aliquibus benivolentium nostrorum in sotios, quibus in ipso nuptiarum conspectu decorabiliter commenderis, huc venire pro aliquo non dimitas, habendus michi et filio totique familie gratus multum et utilis per adventum.

68.

Suo sibi patruo timendo amabiliter more patris Tali Talis devotus et umilis nepos eius sincere mentis libitum et valorem. Michi accedere avido gerende rei necessitas obstat ne venirem, sicut facile deprehendere poteris ?id? ab [homine] latorem ?latore? presentium verbotenus accepturus. Quos ut te tuumque filium honoraturi accederent dilectio communis induxit qua vobis duobus indivisibiliter uniuntur. Da igitur impotentie veniam: nam mens tecum est, animus doloris ferens patibulum quod, imminentे obstaculo, ad te secum trahere nequid corpus. Nichilominus tibi tueque familie hilariter revidende corporaliter adero, quibus detineor negotiorum finaliter laqueo dissoluto.

69.

Dilectis sibi pre aliis fratribus suis talibus Talis salutem et totius desiderii complementum.
Actenus iuvenilibus studiis deditus,

[Page 39v]

ut nature conditio exigebat, merito loquebar ut iuvenis. iam vero sentire incipiens que sunt viri, viriliter agere cupio, quod
?penitus? preteritorum oblitus que valde fuisse noxia recognovi. Ad futura, ut melius succedere debeant, resumpto {potentiori
Note: Lettura incerta} consilio, me converto et quamquam animus distractus ad alia, qui legere consuevit, iam diu extiterit
legibus insuetus, avidus tamen legum, si modico tempori legerit, de facili recolet omnia que iam legit. Firmus igitur ego me
tradere legibus informandis in proximo, librorum expers legalium et aliorum suntuum *indignens*?*indigens*? apparatu a vobis solis
quia nulli sibi alii quibus petam, postulo michi quam cito trasmitti peccuniam quod pro emendo codice, qui modo denuo
relegendus occurrit, XXX vel saltem XXV librarum numero destinato; pro aliis sumptibus occurris debeat pluris suffragium
quantitatis.

70.

Intemerabili dilectione colendo et honorando pro meritis ut maiori fratri suo Tali Talis ardorem fraterne benivolentie cum salute.
Animus nobili doctatus ingenio scire appetit, quia per studium et doctrinam se percipit scientie posse ut, factus tandem
intelligentie perspicax, dampnosum ab utili, indecens ab honesto distinguat; qui modum insatiabilis retinens appetitus, etiam si
multa didicerit, omnibus eis que didicit non contemptus, pluribus semper se applicat ediscendis; cuius profecto scientie,
grammatice scilicet, que primitus materiam parat ad alias, *recepeta*?*recepta*? cognitione divinitus, competenti et gradatim
adscensum facere cupio ad maiora quod, posito ipsius ydoneo fundamento, suum licteralis opifex edifitum promovere alterius
Note: Ms aggiunge impropriamente *alterius* dopo *promovere* non timebit. Cedam ergo gramaticis et ad cultum alterius probitatis
accedam, petiturus legalium sanctionum studia in futuro, quarum proderit habere notitiam pro Deo et seculo, quod [cogniturus]
suffragio roboratus michi demum et aliis favorabilius potero subvenire. Prefato igitur aggrediendo negotio fraterna sinceritas sic
intendat, ut, pro emendi Codicis pretio quem [reincipi] modo [a capite] scolasticus ordo iubet, XXX, vel saltem XXV librarum
prehabita quantitate, sumptuum de inde futurorum pro studio sufficientiam mictere non omictat.

71.

Primordialis scientie quam congrue loquimur percepto iam celitus ydoneo intellectu, legum inquirere stabilvi notitiam. Ut emam
igitur codicem legendum in proximo et aliis sufficientiam sumptibus oportunis, XXX, vel saltem XXV libras pro codice destines
pluris pro sumptibus quantitatis subsidium superaddens.

72.

Vera utique firmitate dlecto fratri suo Tali Tales salutem et meliorum semper vestigia comitari.
Sensimus inextimabilium gaudiorum dulcedinem tue pagine sensibus nostre intelligentie demandatis, credentes firmiter, ut qui
actenus more iuvenum ab honesto et utili deviaras, errore inprovide iuventutis cognito, viam ulterius repeatas veritatis, legibus,
ut scripsisti, voluntarie paratus intendere, quarum, si forte etiam fallimur, penitus fore non credimus te ignarum. Honesto igitur
studio quod proponis volentes alacriter tam ?de? libro quam sumptibus providere, XXXV libras mictimus pro utrisque - XXV pro
codice ac X pro reliquis sumptibus - expendendas, ortantes attentius ut spem nostram ab opere fructuoso multiplicans, qui
modo pauca contulimus alacrius manum extendere facias nos ad plura.

73.

Precordiali federe iuncto sibi fratri suo Tali Tales salutem et rerum semper felicium voluntatem.

Tue libitum augmentande scientie concitati beneficiis tuis accedimus, quod te nobis tuis licteris veritatem confidentes, ut quantum
tibi gramaticae sufficit sis adeptus, XXXV librarum stipendia, ut expendere XXV in codice ac X pro sumptibus reservari debeas,
destinamus, tue nos semper providentie avidos per bonorum operum studia redditurus.

74.

Precordiali federe et cetera Talis salutem et cetera.

Quoniam vera crederis *Note*: Segue mezza riga vuota intimasse qui {docentur} gramatice cognita licteris significando te asseris introductum ego tibi, qui crescere videris hilariter, animose congratulans more fratris ut, tuum meumque libitum in hac parte feliciter prosequeris, destino quam, sub auspicio felici recipias XXV librarum pro codice ac X pro residuis sumptibus quantitatem, bone semper opinionis fiduciam, quam iugiter de te michi gratificis verbis et actibus polliceris, ab effectu veridicam obstensurus.

75.

Precordiali federe et cetera Tales et cetera.

Quamquam libitum quod geris laudabile nostro beneplacito non repugnet, silicet ut post factam ydoneam originalem indaginem in qua congrue proficisse te credimus, alterius facultatis sollicitudini manciperis, precipue legum investigare notitiam tentaturus, nostro tamen tuoque proposito contradicte scientie prosequende, tam ardue difficultas, quum? nummorum modicitas non audebit incipere, nec feliciter consumare. Habende igitur peccunie copiam, quam studium legale depositit, pre manibus non obtenta, de consilio salubriori providimus ut gramatice studio vel grammaticis cultibus usque ad Assumptionem Virginis invigilare non desines; tunc, rebus imposito fine grammaticis, domestica [repetas] nobiscum unanimi deliberatione visurus quibus tibi rebus in antea pro nostre sit potentie viribus

[Page 40r]

intendendum.

76.

Precordiali federe et cetera talis et cetera.

Quamquam, sicut firmiter teneo, tibi tenebris gramatice ruditatis exuto, circa quam actenus implicitus tenebaris, tutissimus patere beat aditus adscensum alterius probitatis, tamen debite provisionis subsidio quam studii legalis requirit [celebritas] non munitus, de [consili] verioris intuitu statui te usque ad medium Augustum grammaticis disciplinis continuo interesse ut, illo denique consumato iam spatio, patriam mansionem revideas mecum pariter quod tibi deinde competit ulterius exercere diligenti alloquo pensaturus.

77.

Viris ingenuis dominis Talibus Dei gratia magnificis Comitibus de Castricario Tegrimus eadem gratia comes in Tuscia palatinus salutem et fame semper laudabilis auctionem.

Quem lucide fidelitatis integritas nostro reddit conspectui gratiosum, Martino latore presentium noviter per stratam Faventie publicam solito more impavide gradiente, quorundam masnate vestre acriter conterenda temeritas in eum inmaniter irruens eumque personaliter comprehensum, suis devium mercioniis et rebus omnibus aliis quas ferebat in modum prede nudatum, inhumaniter ictibus verberum duriorum pro libito flagellavit. Quod etiam si malefitii tam indigni iratum libramine rationis appenditis trutinandum, satis ponderat et redundat in vestre magnitudinis decrementum. Nos igitur fideli nostro, quem precipua dilectione dignamur pro meritis in hoc casu familiariter condolentes, a vobis duo maxime petimus et rogamus: et integre sibi rapta restitui, et tam grandem presumptionis audatiam sic per debite pene iudicium coherceri, ut medullitus doleant se talia presumpsisse malefici, ne simili pena de cetero puniantur, in simile non casuri.

78.

Precelso viro domino Tegrimo dei gratia in Tuscia comiti palatino Tales comites de Castricario iocunditatis pro libito copiam et salutem.

Fidelis vestri gravedinem perpendimus adeo gravem nobis ut vix aliquid actenus nobis evenisse gravius recolamus, qui, etiam offensus fuit incognitus a quibus offendi non poterat cognitus, sed defendi. Rebus igitur restitutis ingnorantie parcite attendentes pro certo huius actores iniurie sic debitam penam pro meritis substulisse ut similia libitum non resumant.

79.

Precelso viro et cetera tales et cetera.

Recipienda hilaris, sed legenda mirabilis, nobis venit epistula quam misistis, nullatenus in tenore veridica, mendaciter referens fidelem vestrum portitorem ipsius ab aliquibus noviter de familie nostre cetu multa in persona et rebus gravia fore passum. Cui etiam, dum per huius investigationem facinoris universum presidii nostri collegii cominus astaret pre oculis concernendum, neminem unquam per fidem suam asseruit se vidisse. Fide igitur ulterius non tributa mendaciis, nulla vos protinus, nisi causa precognita, moveat contra nos, nos, cui nichilominus inquirere posse tentabimus, huius maleficii presumptores maleficos punituri pro debito si eos eorum infortunium manibus nostris obtulerit capiendos.

80.

Viris sapientia preditis potestati, capitaneo, consilio et comuni Burgensis, amicis precipue diligendis, potestas, capitaneus, consilium et comune Florentie salutem et animum semper benvolentie plenioris.

Dilectio spetialis, qua pristini et moderni et posteri Florentini cum Burgensibus indissolubiliter se tenebant, aperit viam nobis secure, cum expedit, ad vestrum benefitium recurrendi. Nobis igitur blandarum indigentie subditis, a vobis de foro frumenti alicuius pro libito laudabilis quantitatis deposcimus subveniri, [ita] quod, mercatoribus nostris viam {propterea>Note: Lettura incerta} requisitir presentiam venaliter concedentes, bonum huiusmodi ut sumnum nostris alligabitis mentibus [perpetim] recolegendum.

81.

Viris omnipotentia extollendis potestati, capitaneo, consilio et communi Florentie potestas, capitaneus, consilium et commune Burgensi continue felicitatis affectum et integrum serviendi [promptitudinem] et honoris.

Duplici vinculo trahimur ut augendis titulis vestris et commodis precordialiter inclinemur: timore debito et amore precipuo, quos gerit nostra communitas circa vestram, quibus etiam adeo penitus vestri sumus, quod, si subesset potentia libito, ut liceret nobis potentialiter quicquid libet, nichil nobis placidius putaremus quam nichil de vestro beneplacito preterire. De nostris tamen semivacuis orreis, qui frugum caritudine premuntur, sicut rumor de talibus auditum vestrum potuit attigisse, tria milia sextariorum frumenti nostro siquidem subtracta victui propter vestrum, aida manu offerimus venundanda mercatoribus vestris ut veniant iam parata.

82.

Viris omni potentia extollendis et cetera potestas, capitaneus et cetera continue felicitatis et cetera.

Sicut fama, celeri cursu perveniens ad remota, iam nostre condictionis notitiam sensibus vestris potuit attulisse, nos qui cuiuslibet blade sextarium vel pari pretio vel etiam paulo vobis emimus, viliorum tam exiguum nostre vite subsidium quod congrue nobis ipsis non sufficit, comunicare {aliquatenus} evitamus. Intentione igitur comprehensa breviter premissorum, culpam impotentie dabitis, graviter non ferentes, si vobis tritici venditionem non facimus, quod nobis vendi ab aliis indigemus, ad cetera parati pro viribus de vestro nobis libito imponenda.

[Page 40v]

83.

Frugum nostrarum iam nimium attenuata modicitas, que veluti vobis rumor iam potuit notificasse veridicus, vel earum equaliter vel paulo vilius foro vestro victualium rerum forum Burgensibus subministrat, pascere male poterit alios que necessaria nutrimenta non sufficit dare suis. Impotentie igitur nostre causa collecta, rationabiliter ex premissis sapientie vestre benignitas moleste ferre non poterit quod indigentia nostra vestre de foro victualium non succurrit, ceteris autem vestris utilibus alacriter libebit intendere in quibus maxime parata potentia libito cohorebit.

84.

Ineffabili ardore dilecto Tali suo viro et domino Talis nichil nisi prosperum et iocundum.

Operibus examinata multotiens Guielmini Burgensis latoris presentium pura fides a Deo tibi claret quod expedire non video ut multa tuis auribus ingeram de ipsius laudibus bonitatis quem nullo modo dubitas bonum esse. Quamquam igitur ad ipsius agenda utilia mecum [invicem] pari voto et merito movearis ut, meo etiam adiecto rogamine, ipse solus pro meritis favorabiles prorsus impetrare debeat vires tuas ?ruas,? ipsius tamen libito hilariter annuens, qui tibi me scribere voluit, his licteris preces inserui tibi efficaciter audiendas, finaliter appetens ut Gualterius maximus amici vestri benivolus detentus carceri, te obtinente carceris evasionem attingat, quod, quod beneficium tuo labore celerrime assecutus, ideo carius ceteris, quia diligit illum pre ceteris, reputabit.

85.

Integra nobilitate preclaro domino Tali Talis rerum semper felicium ubertatem.

Et si forsitan aliorum precatorie lictere, pro eodem misse negotio, harum antecesserint missionem, ut tamen preces addite precibus eum fortius moveant qui rogatur, precor cum aliis de obtentu speciali inter alias, gratie preconfisus, quatenus pro Gualterio, quo nullum habeo cariorem, de [carcere] celerius aducendo, operimini viribus, facturi michi quod ei feceritis, cum indivisa sint commoda sua meis.

86.

Timendo in Dominum totisque precordiis venerando domino Tali Talis plene fidei et devotionis ardorem.

Tenere vos faciat pro constante presentium certitudo quod, sibi cognita intentione pagine quam misistis, benivolus ille noster omni modo dilectionis, et merito, in amicum precipuum retinendus, dominus {Cionculus Note: Lettura incerta}, ut mee vinculum captivationis irruperet, continue cure honus humeris suis apposuit baiulandum, operari sollicite non desistens donec eficax in operatione non fieret cui, pro meo negotio, sedulus insistebat. Iam nostro pariter et illius suffragio de penis carceris ad pristine libertatis solatium evocatus, modo vivere gaudeo, qui primitus gerebam similitudinem morientis. Igitur iuente precipite cui vite beneficium contulisti, ut nobilitas vestra suis pro libito, me submittat obsequiis, que merito [tanti] boni quod estimationi non subiacet, perpetuo sibi vendicat me in servum.

87.

Diligendo precipue fratri suo Tali Bononie deputato ad studium Tales optabile incrementum scientie cum salute.

Dum noviter vi quadrupedia caperent, nec etiam hominum capturam pro viribus preterirent, quidam ascerani Senensium circa patrie nostre latera, more solito, antemissis insidiis cominus precessissent, et tandem quorundam animalium minutorum captanda discederent, nos, subinsurgente sonitu in rumorem, eventum huiusmodi perpendentes, subito cum aliis vicinis nostris et proximis post eosdem in celerem succursum prede cucurrimus. Quod demum, descendantibus hostibus, de pede in pedem vicinius adherentes, cum ipsis modicum congressionis habuimus, ita quod in occurso hostium contra hostes, dum eorum nimium exuperante potentia retrorsum digredieremur, ab illis, accidit equum nostrum equorum Senensium numero aggregari, pede tamen meliori, quantitate rehabita, sanis etiam et salvis totaliter personis vestris omnibus et nostrorum. Equum igitur coacti redimere, ne penalem communis nostri sententiam, equo non habito, incurramus, Bononienses exinde investigare te volumus, ut ibidem venalem equum reperias, non annosum, sed iuvenem, cuius copulata bonitas iuventuti lucrum, non dampnum suis emptoribus ex future meliorationis inditiis repromittat; quod tibi nobis finaliter ipsius emptionis pretium rescripturo transmitti solutionis habenda pecunia non tardabit.

88.

Clandestina quadam Senensium ascheranorum caterva noviter impetum in nostris confinibus faciente sic accidit quod equus vester in eorum incidit captionem, vestrum tamen quolibet et nostrorum sano prorsus et incolumi persistente. Igitur equitatura privati, et equitatura carere, Florentino prohibente imperio, nequeentes equum iuvenili robore communatum, Bononie reperire te poscimus, quo reperto signices statim solvende peccunie numerum habiturus.

89.

Animo pleniori dilectionis sibi debite preponendis suis fratribus Talibus, Talis Bononie scientie cognitionem {inquirens} Note: Parola corretta forse di seconda mano e non bene leggibile} copiam summi boni.

Sollicite perquisivi et reperi equum satis statura spectabilem, cursu celerem, fortitudine validum et pluribus equinis officiis insignitum, ut michi, etiam et expertis equorum censoribus, commendabilis merito sit habendus, nisi quod, egressus paululum terminos iuventutis, iuvenis proprie reputari † meruit, qui etiam quinquenale spatium iam peregit. Igitur si ei temporis multitudo non derogat, ne tempore placeat in aliis acceptandus, libras XL transmitte, cuius venditor breviori numero animum non inclinat.

90.

Iuxta proprie credulitatis iudicium, cui etiam consonat meliorum, forma, celeritas, fortitudo et alie proprietates ydonee, ex quibus bonitas equina colligitur equitature convenient quam [inveni.] non tamen iunior, nec proprie iuvenis, que modicum ab etate iuvenili digrediens, quinquennium iam implevit. Itaque, pro equitatura huiusmodi, librarum plenitudinem XL - minori pretio non emenda – trasmittite, nisi forsitan dierum pluralitas preparatam prohibeat emptionem.

[Page 41r]

91.

Viro stabilis dilectionis et fidei et ineffabili probitate famoso magistro Tali Talis, humilis fisice deputationis minister, cum integre felicitatis affectum totius [amicitie] concrementum.

Patrie Arette nego quodam laudabili permutato in alterum minus bonum, abinde fugere et alium locum inquirere sum inductus, cuius conditio tranquillus et uberior se haberet, proponens fieri Burgensis pro tempore, dum ibidem rerum copia suppetat quibus congrue vite regimen subvenitur. Ceterum, paucitate Burgensium hominum cognita, meque non agito inter alios specialiter, accedere vereor, nisi securitas alicuius muneris promissi preveniat, que michi animum suggerat accedendi. / vel sic: Dubitabile censui ad Burgum absolute accedere, alicuius promissione salarii non recepta. / vel sic: Incerto pede non veniam, quasi preceps, nisi michi libitum veniendi muneris promissi suadeat certitudo. A vobis ideo duo fieri postulo: primitus suadere ut me vestra communitas evocet, et assignet beneficium competens evocato; demum describere si congruum gero propositum, et equaliter vobis proderit suasisse.

92.

Titulis fisice cognitionis egregio ac practice cure officiis integra. communito magistro Tali Talis cum salute plene benivolentie operam et honoris.

Pro {condecorati} Note: Incerto lo scoglimento dei due compendi che compongono le prime lettere} peccunie numero vestris debite providendo sumptibus in mercedem, sedulis animata inductibus, Burgensis communitas tamen, debit is honerata multimodis et molestis, ad instantiam suasoris non trahitur, nec interpositis precibus inclinatur, quod, quanto mollius eam flectere satagit rogatoris sedulitas ut concedat, tanto resistit illa tenacius et non cedit. Vos nichilominus accedere consulو, [securus] consequi lucrum ad copiam et in delitiis vivere copiose.

93.

Pro impetrando stipendio vestre ydoneo probitati, labore solito, sed inani, iam pluries institi cum amicis, quod, sumptibus oppressa prevallidis, communitas Burgensis impendere posse negat. Vos decet nichilominus advenire, honorabilium sumptuum sufficientiam utique percepturos.

94.

Mentis integra puritas et fidei caro sibi precipuo reputando Tucio Bonfilius cum salute benivolentie vinculum consuete. Ex debito amicitie nostre pendet quod, qui solitis letificis et alternis aplausibus nequimus modo nos invicem sub aspectu corporeo confovere, locorum longitudine interiecta, saltem crebre visitationis solatio licteris hincine transmissis, precordia nostra multo [recreemus], ut corporalis absentie representet ymaginem grata contemplatio licterarum, et amicitie precordialis contractus, qui {senescere} Note: Lettura incerta poterat et nebula obscuritatis accipere non revisus ille cuius semper et integre vigeat sedulo renovatus, dum alteri amicorum scribit quanto sepius et rescrit. Igitur quam bene te habeas, maxime circa tue scientie incrementum, tempus captare memineris rescribendi, sciens me corpore sospitem divine potentie munere, qui tibi et tuis celitus provenire, que meliora reputas et iocunda, cunctis appeto viribus et imploro.

95.

Suo magistro Bonfilio amabili et timendo pre ceteris viro industria mirabili Note: Segue mezza riga bianca [predito] Tucius ubique suus devotionis debite firmitatem.

Quos noviter misistis, apicibus admodum receptis hilariter et attentis, ob meritum [tante] benignitatis et gratie fateor me teneri ad gratias plures etiam quam exprimere valeam referendas, quod, ineffabili titulo et decore pollutibus licteris, destinasti [ut] ad gaudium visitari meruerim: a domino subditus, a doctore discipulus et humilis ab excelsa, precibus implorans totalibus quatenus, cum ore non liceat alloqui, libeat iterum licteris quem semel libuit refovisse, quod gratie munus habebitur adeo ut impendi non valeat grandius, non distat unus ab altero amicorum. Ex superne utique beneficio deitatis vivens incolumis corpore, cura domesticis omnibus, semper [opto] similiter vos [haberi]. At fisice studio utiliter deducto pro tempore, fisicis iam diu non licuit, nec amplius licebit, intendere, gravibus exortis obstaculis, ob narrandi gravedinem inpresenti serie non [ponendis].

96.

Viris magnificis Guilielmino Rubeo, Gualterio et Ubertino Gualterii, Gualterio et aliis de Ubertinorum prosapia omnibus presentem paginam Note: Parola scritta su rasura cognitoris civibus suis egregiis et dilectis, Philippus de Ugonibus potestas, consilium et commune Florentinum intime sinceritatis constantiam cum salute.

Hostium inveterata malignitas nostrorum emula suorumque prodiga titulorum, totiens in bello devicta, totiens prostrata in humum, nobilibus spoliata tentoriis, machinis viliter concussa interius et tandem non verita tot vicibus cecidisse, novis semper casibus stolida se imiscet, quod temere in sua dampna proterviens dum, subiuncta sibi tota fere provincia in favorem, suorum dedecorum ultiōnem preordinat, impotens omnium que proponit, ut debilis contra fortē, velut incauta, non percipit quod sibi semper acumulat probra probris. Nos utique, pro tutela virium et honorum Florentinorum nivibus, glaciebus et imbris tempestuosis expositi, ac ferocium Aquilonis et Borree rabiem contrario patientes, yemalem exercitum assiduare compellimur, ut nostros etiam filios, fratres, proximos et affines, quos noviter impudens et dolosa hostilitas de nostre gremio unitatis subtraxit, sibi conspiratorie in opido Montarii inexpugnabili munitione vallato, potentie nostre viribus inegressibiliter circumspectos terribilibus machinarum et trabucorum, lapidibus letiferis balistarum, quadrellis et [armis] aliis perentivis, pro dolor, inhumane pre oculis trucidemus, nostris quoque in proximo manibus indubitabiliter capiendos. Vobis ideo, quos honorat nobilitas et nobis pure fidei titulus, tanquam cives amabiles, recommendat, expedit curare sollicite de nostro libito, precibus, et mandato, qualiter copia victualis pro viribus, de vestris frugibus et vestrorum ?pro?pre.

[Page 41v]

proveniens, necessitudini nostre venaliter suffragetur, proviso maxime ne amicis exercitui nostro victualia ferentibus, aliunde forsitan aliquorum temeritas vestro districtui subiectorum, in nostre intentionis obstaculum irroget se molestam, quatenus opere servetur incolumis, quam [gerimus] clariorem de vobis civibus excelsis opinionem, ab eventu contrario non mutandam.

97.

Viris meritis omnibus honorandis domino Philippo de Ugonibus potestati, consilio et communi Florentino Guilielminus Rubeus, Gualterius et Ubertinus Gualterii et Gualterius Ubertinorum cum universis consortibus triumphabilibus semper titulis sublimari.

Pagine vestre universitatis adventum, imperium et honestum et congruum continentis, nostra sollicitudo prevenerat de victualium rerum foro possibili in nostre commoditatis subsidium trasmictendo, subsequens autem imperium nobism, ante illud sollicitis, maioris sollicitudinis stimulum introduxit, quod ita voluntarie ac sincere curabimus commoditatibus vestris assistere, ut ex nobis et nostris aliquibus exercitui vestro nichil penitus evenire valeat detrimenti. Si vero aliqui terrarum nostrarum extranei modo forsitan contrario se haberent, nobis vel nostris fidelibus, cum indignum appareat malefitium, commissum per alios precamur et volumus non ascribi.

98.

Suo fido pariter et pleno refugio domino Tali dilecto specialiter et timendo Talis doctrinis scolasticis Bononie deditus, vite salubris perseverantiam et iocunde.

Licet non animi sapientia polleam, que maxime discretis spiritibus et plurimos dies habentibus indulgetur, opinor tamen, ut iuvenis, quod nichil haberi debeat carius inter cara nichiloque ipsa scientia fere desiderabilius appetendum. Hec utique possessio nobilis, que haberi non desinit postquam datur, sic suo me sibi desiderio attrahit, ut omnem laboris gravedinem suavitatis solatium reputem propter illam. Residere me igitur expedit circa scolas, ut fieri debeam scientie cognitor, cuius factus sum fervidus appetitor. Faciam sine dubio quod proponendum: michi necessarius aderit favor vester apud patrum meum Iohannem pre omnibus valitus, qui velut pater me diligit, baiulat et reficit ut alumpnus, quatenus seduli vestri ortaminis interventu, sua semper gratia fiat promptior in nipote, scolastica pro decore scientie studia prosequentem, ut a vobis efficaciter obtento bono huiusmodi michi plurimum opportuno, quod etiam alia varia de vestre plenitudine gratie prevenerunt beneficia, consequenter semper vos in patrem et dominum per merita integre devotionis et fidei recognoscam.

99.

Commendabili iuveni sibi more filii diligendo Tali licterarum scientie dilectori Talis bonorum semper libitum et hotentum. Motu proprio, quin tue potius dilectionis stimulo provocatus per pluralitatem precaminum tuo Note: Forse lavato o scritto con inchiostro molto diluito pro te patruo pluries porrectorum, page tue presentiam anteveni, qua, vultu recepta hilari attentisque sensibus intelecta, eundem postea non minus, sed amplius, ut commoditatibus tuis semper pronius se inclinet, fidelibus multiplicatis suasibus animavi; nec idem facere benivolentie tue merito pretermictam, apud quem scientie tue cupidum tuique boni cuiuslibet voluntarium provisiorem rogatur in favorem tuum quilibet ac inductor efficacem, prout expedit, locum habet. Nichil igitur aliud tibi restat, nisi ut, de consilio meo et monitu tueque industrie interventu, patruum quem sponte reperis tibi [promptum] , per meritum operationis laudabilis facias et retineas promptiorem.

100.

Desiderio filiali dilecto Tali Talis honesti semper et utilis appetitum.

Ad rogamina per me sibi et [per alios] tuis commodis oblata quam sepius, factus admodum turbidus, quin potius more lapidis [obduratus,] tui animus patrui non mitescit. Sensit enim, nec dubitat, quin, spreto exercitio studiorum, rebus aliis exercendis te dederis, scolastice contrariis honestati. Sane quadam mentis vesania duceris, si talis, qualis a patruo crederis, habearis? Repetito igitur quod minus bene diceris omississe, patrui gratiam bona studeas per futura redimere, quam mala te preterita [spoliarent]. Alioquin nichil ulterius speres de patruo, nichil tibi iuvaminis, si talis perseverare volueris, porrecturo.

101.

Suo venerabili et timendo patruo more patris, domino Tali Talis pro facultate ingenii scolastico in foro negotians longe vite spatium et felicis.

Prompta ut feriat et acuta ut ledat lingua [vestre] benivolentie invidorum hominem sagitavit inmeritum a remoto, sinistra, ut video, referens de me vobis, ut pro voto nostre vinculum dilectionis illideret inexplicabiliter solidatum, gratulans, more solito, si [valeret] eos invicem inamabiles reddere, in quibus dolet illesam pervigere compaginem animorum. Hec utique amaritudine respersa temeritas pro viribus mollita me ledere, in me, licet non parum et subito, moverit mentem vestram, velud evidens relatio docuit, et vestre habitus qualitatis proculdubio variatus in alterum non celavit. Proficere sibi tamen pro libito non valebit. Nam, etsi scolis abesse condoleam, qui modo studiis, ob necessitudinem ediscendi, satis voluntarius insistebam, cuius rei contrarium de me vobis detractorum versutiam intelligo protulisse, cedam tamen rebus scolasticis, citra lapsum dierum XV, et accedam, ut de mei et animi et operis qualitate, me presente, reddamini certiores.

102.

Cordium pravitas mala de bonis fingere solitorum *Note:* Spatio relicto variis premunita coniuntis, sinistris eloquiis tetigit aurem vestram, movens animum, ut mali [credulus] fieret, quod non erat. Nam mutatio animi aliter quam soleat se habentis, ab opere subsequenti se iudicat, ac fama de partibus veritatis proveniens, comprobat illud idem; studio itaque, invito licet animo,

[Page 42r]

pretermissio, deproperabo redditum adituri arripiendi primordium, citra dies XV processurus, ut qualem geram et gesserim libitum, et quale de libito fluat opus, ex nepotaria presentia decernere discreptio debeat patruelis.

103.

Paterne quasi dilectionis vinculo iuncto sibi Tali nepoti suo Talis laudabilium semper cumulos meritorum.

Tue continens devi? a *Note:* Aggiunto in interlinea (mano del copista)? tionis inditium actenus de te ? quedam? relatio insueta mirabilis erat potius quam credenda, suam contrahens a quibusdam orriginem in animum sepe loquacibus, sed raro prolatoribus veritatis. Sed quicquid senseris, quicquid etiam de mei alteratione animi fecerit te timere, nichil suadeat tibi tamen pretermittendi studii voluntatem; quin circa illud actum commendabiliter et agendum de bono semper in melius roboreris, securus, si laudis gesseris libitum [et] boni [exercitium] prosequeris, me tibi subministrare pro viribus tuis exigentiis oportuna, quod, libras V pre manibus ab huius epistule portitore recipiens, de sincera benvolentia tibi missas, certus, ante huius deficentiam quantitatis, de alio transmittendo subsidio habearis.

104.

Serviendo semper pro meritis in amicum viro totius curialitatis alumno Tali *Note:* Segue mezza riga vuota Talis se totum suo semper nutui mancipatum.

Cum satis doleam quod nequivi, doleo magis quod nequeo peccuniam vestram remittere, potentia non dum habita remittendi, et ideo more pudens, qui nequeo non morari, solam recurro ad veniam. Cum igitur dare illam libito vestro subiaceat vel negare, dabitis potius quam negetis animo benigno, recognita more causa, securi differri non posse ultra mensis spatium rem dilatam.

105.

Toto sibi conamine reverendo genitori suo domino ~~Ildebrandino~~? Ildebrandino? Guidonis Cacciacomitis Bonifatius se ipsum promptum ad omnia et subiectum.

Volens quod nova filialium bonorum augmenta parenti ad gaudium nota fiant, hanc destino paginam, qua vestris sensibus pateant nova regie dilectionis inditia cognita michi noviter ab effectu. Rex enim, ut nos de sue plenitudine gratie non incertos, redderet, multiplicatis benefiis certiores, se, proinde nostris obsequiis non indign? u *Note:* Aggiunto in interlinea (mano del copista)? m, suis crescentibus meritis faceret dignorem, castra duo, alterum C et alterum trecentis familiis integratum, cum vaccarum pariter et iumentorum [quadrungentis] capitibus, in feudum michi nuper voluit contulisse. Igitur, cum ex benefiis augmentis prodire debeant obsequia gratiore, ac viros Ytalicos, Tuscos maxime, fide actuque bellico ceteris deceat anteponi, ad me, supplico, habitu decentis familie non munitum, XII stipendiarios iuvenes quos patria vestra genuerit, quibus etiam probatis et animo, meum et regium negotium competat, placeat quam citius destinare, ut habitis illis in comites fidelis minister, mandatis dominicis uberius obsecundans, gratie regalis obtentui se semper habilitet, {iure *Note:* Lettura incerta} de bono in melius augmentande; demum facta regi, si libeat, mei recommendatione in lictoris ac de tanti collatione donarii relata sibi plenitudine gratiarum.

106.

Serenissimo viro domino Corrado, Dei gratia Romanorum in regem electo dignissimo, Ierusalem et Sicilie regi, Ildebrandinus Guidonis Cacciacomitis obsequium fidelitatis tam debite quam devote.
De noviter collato Bonifatio munere tali utique quale tantum regem magnificum decuit contulisse et si quas debeo nequeam, refero tamen quas valeo gratias. Ut ubi potentia deficit, certis terminata limitibus, immense suppletat libitum voluntatis. Quid igitur offeram, pro tanto beneficio, regi meo? Non me ipsum, nec filium, quos habetis, cum vestri simus ad omnia, quicquis sumus. Scio namque quid faciam: ad omnipotentis auxilium impotens me convertam, precibus effusis ab intimis, quod de tanti boni compendio vobis ipse retribuat, et *Note*: Aggiunto sul rigo, forse mano del copista vitam vestram dierum [longitudine] prosequens et felicitatis continue incremento, ita quod, pro meritis vos habendo in cesarem, in brevi vestris subiaceat iussibus orbis terre. Me demum et filium suscipe commendatos, quod, si quid vestris conformabile nutibus per me in Tuscie partibus videritis exercendum, statim, si libeat, edictum prodeat a domino in fidelem, paratum per me ac meos, et vigilem ut semper, omnibus pro posse, que titulos celsitudinis vestre respiciant, intendatur.

107.

Corradus Dei gratia Romanorum in regem electus, Ierusalem et Sycilie rex, Ildebrandino Guidonis Cacciacomitis, dilecto fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem.
Manu et animo hilari recepta quam misisti epistola et attenta, volumus ut credere debeas, quod, dum danda respicimus, data Bonifatio munera facilia contemplamur, cuius statum nos victuri salubriter tantis et talibus operibus fulciemus, quod nemini nostro regnicoles, velut pluribus affluent divitiis, poterit invidere. Itaque circa nostra et imperii negotia, que tibi presentibus commendamus, laudabiliter dudum exercita et geras laudabilius exercenda, quod, ut voluntarius facias, [certitudinem] gerimus ab experto.

108.

Ildebrandinus Guidonis Cacciacomitis Bonifatio, dilecto filio suo, bonorum morum plenitudinem et virtutem.
Muneris moderni provisio, quod magnum, cum parva impendere nesciat rex illustris, fuisti noviter consecutus, in meis visceribus celebris iocunditatis, ut decuit, causa fuit; ex suis etiam

[Page 42v]

licteris, ut fortius gaudeam, prompte michi maioris boni fiducia. Repromissa regis igitur, cuius gratiam, velut presens indicat gratia, meruisti, bonum facias semper et retineas animum bonum, meditans qui acquirit, sed meliorem qui tenet et ampliat acquisita, quod dudum regalibus fideliter intentus obsequiis ex nunc circa ipsa fidelius intendaris, iuvenes XII, ut scripsisti, de paterna sollicitudine destinatos recipiens, fidelis pariter et virilis animi *Note*: Ripassato dalla seconda mano laude dignos, quos ab actum conversationis placide circa ipsos retinere studeas tibi promptos.

109.

Altis sensibus predito et omni providentia comunito magistro Tali Talis abbas licet immeritus totumque collegium monasterii talis loci totam sinceritatem cordium cum salute.
Annua ecclesie nostre festivitas, ut sollempniter celebretur, requirit principaliter vos adesse, ad quam, etsi plures venturi sint alii, quos de diversis provincie partibus duximus convocandos, tanto alacrius habere vos volumus, quanto in omni modulatione vocum, quibus auris et animus demulcetur, cantoribus Ytalie ceteris prevaletis. Utique vestrum adventum, quem infallibiliter prestolamur et rogamus ut fiat, beneficio tam condigno pensabimus quod nostri vos, {eneis} *Note*: Lettura solo probabile causa una macchia d'inchiostro semper meritis hinc inde patentibus, et nos vestri, dum satis esse conspicimus hominis tante virtutis amicitiam meruisse.

110.

Venerabili viro Tali abbati dignissimo ac discreto collegio monasterii talis loci Talis temporalium gratiam et gloriam eternorum.
Grata veniens epistola quam misistis gaudium, sed non libitum, intulit veniendi, quod inerat ante illam. Igitur qui venissem preter illam licteram non invitus, alacrius invitatus accedam, dum, presidio dato divinitus, non prepediat aliquid adversorum, gratulans placuisse placentibus, et grata prestitisse servitia non ingratis.

111.

Discretis et nobilibus viris cunctis terrarum rectoribus has licteras recepturis. Talis potestas, talis capitaneus, Ançianorum consilium et Commune Aretii intime sinceritatis affectum cum felicitatis et glorie incrementis.

Cum celebre beati Donati festum nostri ducis et capitis festialis mensis introitus, adveniente sibi septendio, representetur, cumque tunc temporis, iuxta consuetudinis nostre constantiam ad generalia nundinarum intendenda negotia nostri situs habilitas exponantur, dignum et utile credimus quod ad tanti boni exercitia omnes utique concurrere debeant quibus proprie commoditatis fiducia vendendi aliquid vel emendi propositum subministrat, quos, ut per totius nostri districtus potentiam, transitu et regressu tam seculo quam libero, veniant potituri, pleno et hilari voto duximus convitandos, exclusis furibus, homicidiis, falsariis, forbannitis et omnibus quibus detestabilis infamie vota suspectis bonorum hominum consortia prohibeatur. Premissa igitur ut per terras vestro regimini subditas, preconia voce solemniter publicetur, vestram attente prudentiam imploramus, ex hoc vobis ad similia et maiora etiam obligandi.

112.

Ut tales mercatores Florentini latores presentium cum bestiis et negotiis suis aliis aliunde traductis per civitatem et districtum nostrum transitu de nostra potiantur licentia libero et quieto, nec aliquis eis sub personarum et rerum patibulo personalem vel realem gravedinem presumat infligere, nos, Manfredus de Cornaçano, potestas, et Armondus de ~~Carbo~~^{Carborn}ensibus ?Carbornensibus,? capitaneus, cum Aretini populi Ançianis, mercatoribus ipsis auctoritate presentium indulgemus, decernentes indultam licentiam diebus XII utilem, sed deinde non valere.

113.

Precellentie vestre benignitas nobis amicis fidelibus amicabiliter condolentis, dum se olim periculis nostris patenter opponeret, ne nos, quibus ultimum parabatur excidium, irrelevabiliter reveremus, ipsa nobis pacis et quietudinis copiam reparavit; ideoque fatemur vestrum esse quod vivimus, et quicquid placidi possidemus et utilis preter vitam debere vobis attribui non negamus. Verumtamen honerosa superflue nos infestat pauperies, sub cuius patibulo nequid pro certo consistere pax iocunda, sed quoniam ex fine pendet initium et omne quod indiget perfici reducitur necessario ad perfectum, ad vos necessitudinis nostre curam devolvimus, ut a quibus nostre reparationis emanavit exordium, perfectionis proveniat incrementum, voto supplici deposcentes quatenus per vestri capitulum constituti, nunc denuo renovandi, mercatoribus nostris de gratia sit indulta licentia qua per iurisdictionem vestram lane aut stamis vel ad placitum liberam, vel certam traducere valeant quantitatem. Nam, inter alia reformationi nostre ydonea, nichil utile magis et efficax quam inter nos celebre artifitium lane persistere contemplamur, ut civium animi actenus dissoluti effreniter causa belli, lucrabilibus alligentur negotiis et incipient cogitare de utili, quibus primitus male agendi amor erat. Nostre quidem [petitionis] assensus tanto vobis apparebit facilior?facilior,? ut speramus, quanto, dum crescimus, vestra subcrescere commoda certi estis.

114.

Iacopus Rusticuccii Capitaneus cum Antianis et consilio universo dilecto [civi] suo peritia legum et pluribus aliis insignito domino Armannino salutem cum dilectionis intime firmitate.

Licteram quam misistis sincero prodeuntem ab animo, etiam veritatem, ut credimus, integrum continentem, alacri manu recepimus et mente circumspeximus proniori, ex tenore ipsius gratulationem debitam receptantes, precipue dum per illam via nobis ydonea reseraretur et modus per quem efficacius fieret nostri reparatio studii et augmentum. Nam pro bono communisatis quam gerimus inter alia desiderabilia nobis ad studium ipsum feliciter disponendum

[Page 43r]

sollicite vigilant sensus nostri. Nos enim, qui maxime ob ~~secolarium~~?scolarum? letificamur frequentiam, eos, ut hilariter veniant, invitare fiducialiter possumus, cum studiis celebrandis Aretii habilium rerum deserviat plenitudo. Quid enim studium exigit quo Aretium caret sane pro vita studentium ibidem contrahenda incolumi ac pro animis suo loco et tempore recreandis? Subest situs et aeris singularis amenitas et victualium copia meliorum, placabilium civium habitudo non deficit nec doctorum varietas quarumlibet facultatum. His omnibus et aliis bonis pluribus studentibus opportunis, que referre non expedit, et tederet, immunitas scolastice libertatis adicitur, quam, ut qui apud Aretium studere voluerint, optatum in commodis suis obtineant complementum, plene sibi offerimus et inviolabiliter observandam, nichilominus favore quolibet et gratia que per nos eis fieri poterit non obmissa. De scriptoribus parum attinet scribere, cum super alios pro patet, remotis et proximis: scribendi speciale industriam Aretini ~~contraxerint~~?contraxerunt? ex natura. Hec omnia benivolentie vestre discripsimus, ore vestro quibus expedire videbitur intimanda, gratum in hac parte habentes celum et sollicitudinem mentis vestre.

115.

Colendo pronius genitori suo domino Tali Talis timoris integri et amoris effectum.

Indulta celitus gratia, corpore validus et iocundus persisto, patris successum rebus semper felicibus affluentem hilaritatibus ceteris contingere michi valentibus superponens, qui quantum ab ingenii docilitate promittor, sciente cultu sedulo erudiri procurans, ab indigentia significare compellor, quod, quam paterna destinavit benignitas me totalem consumasse peccuniam, III que debitum contraxisse librarum, iam nimium excrescens in sumptibus victualium caritudo coegit. Itaque so*l*?i?vendi debiti ac temporis penes studium in antea deducendi plenarium destinare debeat fulcimentum.

116.

Talis Tali dilecto filio apud Burgum studenti paterne totaliter benignitatis obtentum.

In conceptione tenoris antemisse nobis epistule, quam, celeri manu areptam, cura diligenti perlegimus, gratitudine iocundiori confoti ut tua nutibus nostris devotio semper studio fideli se habilem, quod maxime iubemus, impendat X librarum subsidium necessitudini tue harum latore providimus afferendum.

117.

Talis Tali, utinam peramabili, filio culpe odium et laudis affectum.

Dum verborum appositione luceret, quibus eam per totum diligentia compositoris ornarat, lectori placabilem porrigebat aspectum epistularis illa compago, quam tibi nuntiam pro nostro placando facilius spiritu habilem statuisti. Verum, cortice licterali dimisso, ut ad medelam interius tenuis inspectoris indagine veniretur, quid contingit, utique sola sub pallio claudebatur inanitas, quod ne vocibus intentio consonet, ac spectabile primitus transeat indeforme? Ratum aut nullum prorsus in pagina probable veritatis inditium emicabat. Tu namque, prout facti certitudo declarat, factus ad utilia tepidus, pedeque celeri ad [inhonesta] prorumpens, cur te miserimus ad [scolas] non recolis, dum morum et dogmatis assiduare culturam quibus decebat intendere, stupenda temeritate contemnis? Et ideo, ne peiora succedant, incoate malitie studium [promptiis] fovere sumptibus [peregrinamur], transmissa enim, damnifice manum extendere prohibent ad mittenda, ne dolor ab amissione relictus rerum, crescente dispendio augeatur.

118.

Metuendo plus omnibus genitori Tali suo domino, Talis se subditum et tardius ad credendum impelli.

Turbinis inductivus et ire susurro maledicus odiosam de filio patris in auribus relationem inspirans, facillimum - de quo miror - fraudis proposito impetravit effectum, dum tam celeriter animus, prolatis ab ore figmentis, ut credulus inheret. Privatus itaque quibus scolastice militantur stipendiis, ut genitorum ut genitorum prosequar libitum, dimissis scolasticis, patrie quam citius deproperabo regressum, ut quibus increpor examine pleniori discussis, de omnibus an dicta vel realia fuerint equius, me astante, iudicium colligatur.

119.

Talis Tali, utinam peramabili, et cetera, ut supra.

Actus stolidae iuventutis indebitus dolere graviter compulit, at male agendi protervitas, spatio longiore perdurans, doloris illati gravedinem augmentavit quod, quanto dilectior filius, tanto, si diutius deviet, redditur non indigne molestior genitor; mens tamen iuvenis temere delapsa in malum, nondum penitus facta, ut credimus, pertinax, relinquit aliquam de bono fiduciam, ut, reviso pristine levitatis errore, ab inde quam cito discedens, quem velut avidus prosequaris inantea rectitudinis tramitem investiges. Ea igitur opinione promoti ut, quem commisso culpe prioritas irrogavit ingratum, amabilem reparet immitande virtutis successio studiosa, libras V de mansuetudinis ubertate paterne sumptibus tuis porrigitur incrementum.

120.

Bonis omnibus dedito et urbanitatis alumno domino Tali Talis cum opere animum ei semper intentum.

Cara [confert] lator presentium, ne conferre cariora valeret. Quid homo ea se ipso carius habeat? Idem namque, ut me totum pro meritis sortiatur in carum, se ipsum michi pro viribus indivisum exponit, ne illi alium ex caris valeam in caritate preferre, cuius negotium pre manibus agendum in curia de gratia prodeunte fiducia opitulamini vestro ut proprium recommendo.

121.

Scientie diviti ac stabili equitatis cultori domino Tali Talis perpetem in vigore successum.

Ut quid conatu

[Page 43v]

proprio diffidit attingere, id ope lator presentium mereatur amici, ad vos intrepide ipsarum fretus intimatione procedit, qui ab examine vestro pendente ab alio tractus in causam, quatenus pro eo me scribere sibi utile deprehendat imploro, hinc, ipso pariter mecum, in vestrum dignius acquisito.

122.

Amandis sibi Talibus Talis Bononie ob studium incola evum in salute perenne.

Ut post brevem erumnose vite laborem succedat stabilis sine stimulo requies, quam consequi in re meritorum confidit, vester a Domino filius servire Domino in timore decrevit ac tremendi iudicis in confessione faciem prevenire. Vestrum in hoc solum miserie turbinis utique tumultuante procella, quia Dominum non omnibus investigare contigit, ut cura seculari excussus, habitatus divine rei misterio evacaret, idem, spiramine promovente superno, cessit seculo induito noviter habitu ad ordinem minorum translatus hinc, licet amici provide potiora sequentis, salubriter arreptum negotium merito me invitet ad gaudium, tamen gratie socialis amotio, qua non aliud gratius terrarum apponere michi poterat latitudo solitarie remanentem in seculo celebri merore confundit. Huius igitur rei et si aures et animos cognitus immutet eventus non vos taliter distrahet quin, rationis servato modulo, penes ista caveatur, ne nutus nutui divino humanus vitalibus aduersetur. Nam velut ab homine acceptanda confestim ultroneum promerentur assensum, que, celico maxime instinctu, promota spirituali voto in melius commutantur, parentibus quidem filiali colligatus affectum, qua utique mente, qua manu commodum admoverem filii et parentum.

123.

Honorifico viro et amando pro meritis domino Tali Tales optate commoditatis et gaudii firmitatem.

Benigna claret urbanitas, meritum succrescit et titulus, eo quod, honore pro ingnotis assumpto, [spontaneum] venit in votum, que circa filium noviter in remotis evenerant, ea negocii filialis ingnaris apice transmissio parentibus intimare; absonum enim extimari [putaverant] parentes ignorare processum, dum presertim licite retractari non accidit, quod patratur. Quid autem perversius, quid amplius rationi adversum, quam quod gesta eis subscribantur in ultimis quibus ut primus decuit gerenda prescribi? Grates ergo de gratia eo plures rependimus, quo gratius intuemur obsequium merito non impetrare susceptum, precibus attente [subiunctis] quatenus seriem alteram pariter cum presenti delatam ipse latoribus vobis receptans, quod scripto [suggeritur], illud vestro efficere monitu concuretur.

124.

Tales dilecto filio Tali constantem in studio noviter inchoato fervorem.

Parens operis probante inditio, tanto dilectionis ad filium promovetur [affectu], quod, ebrii more qui se ipsum, sensibus sopitis, non percipit, etiam non tam sui quam filii fervidus emulator plerumque preterit proprium, dum commodum hanelat intendere filiale. Nam, si nemini gravior quam parenti filii plena salubritas, indigne nos, qui te, fili, genuimus in describenda tui nova promutatione, postpositis qui omni merito preponenda? preponendi? quibuslibet videbamur, movemur itaque, non quod fueris ingressus in ordinem, ubi te religiose proficere opinamur ad gaudium, sed quod animum ingrediendi tacueris, metuens ne, si conscius tue, forsitan, conceptionis fuerimus, mens avida recepisset obstaculum, tota, ut indicas, ad habitus assumptionem intenta, nec oculo clariori perpendens quod tanto nostra benignitas {tuum} studentius incitasset propositum ad eventum, quanto tua precordiis nostris funditus propagata dilectio salubrius paratur attingere incrementum, quos utique, cogitatu mestifico a remotis vicendis eisdem, ut petimus, adiungi cominus studeas, sobolis singulari solamine recreandis.

125.

Honorandis in dominos et immutabili affectione colendis viris excelsis Potestati, Capitaneo et Communi Castelli Potestas et Angularensse Commune felicis sublimationis obtentum.

Animis impressa fidelibus ac fructibus copiosis expressa, ipsa nempe qua pariter iungimus mutua {utrimque Note: Lettura incerta} dilectio impulsu nos assiduo excitat, quin continuo potius vigilare compellit ne ulla vos somnolentia occupet statui vestro ut incolumi tranquillitate respiret flagrantii nutu et studio intenturos. Quorumdam quidem ex concivibus vestris maioribus, prout fama impublicum deducente firmatur, detestanda libido quiddam noviter facinorosum [attentans], temerarium denique persilvit in actum et ideo timere compulsi, ne huiusmodi particularis infectio violare valeat universum, ac merito formidanda initia processum obtainere nequeant inestuosum res et personas ob vitandum future clidis eventum ut malis, ne deteriora emergant, facilius occurratur, negotiis vestris presentium stilo commisimus offerendas, quatenus eadem in genere, aut pro parte, ad votum, vel civili custodie fulciendis potentius, vel aliis operibus vestris commodius peragendis ut proprias, [mancipetis].

126.

Suis precipue diligendis amicis potestati et Communi Angularensi potestas, capitaneus et Commune Castelli animi placide operationis et actum.

In lictore quam misistis adventu affuit manus prompta que sumeret ac diligens que contentum licterale colligeret cura mentis ut, sensu notorie comprehenso, verborum exindeque cordibus omnium copia gratulationis inducta in votum singuli vestre felicitatis [assurget] tamque fidem

[Page 44r]

scribentium quam scripti decorem laudem magnifice titulo sublimarent. Nam et si merito dolendus eruperit casus ille sinister, qui se nuper improvise iniecit, non idcirco metuendus incumbit. Frivulus enim stabili securitate vallatis timore nequit incurere et amande quietudini deditos non efficit intranquillos. Nullo igitur neccessitudinis tran?{Note: 's' agg in interlinea(probabile mano del copista)}igente articulo quo nostre nunc temporis sinceritatis auxilium viderimus advocandum, nuto solo amabili et rei liberrima oblatione contenti velut iam exhibitum fuerit quod offertur. Flectimur ob meritum pollicitationis adgrates quod ex hoc intentionibus vestris opere fecundiori faventes personali nos labore nec utili sub hoc instanti non exercendos.

127.

Viro magnifico ut plene inter viros experto, excuso proceri domino Cullo Federicus Marabutinorum gaudiorum felicum incrementum.

Molendinum, velut improprie dictum dum in eo molitur, quin potius domus inutilis reputandum, quod in Tali loco iure posseido situatum, iam quasi non fuerit sex mensium et maiori temporis lapsu molere desinens, otiosum pariter et [infructuosum] permansit. Gubernator enim, tum bellico metu, tum vestro territus [potentatu,] dimisso loco et officio gubernationis secedens, illuc accedere sibi, ne incommode cederet, non attentat. Quid igitur restat agendum? Utique ad potentiam vestram, metu cuius id contigit, ne amplius, sublato metuendi occasu et redditu securitate, [contingat,] decrevi merito recurrentum, audacter nec minus confidenter implorans, quatenus generali ad vestros prodeunte imperio, ne meus offendatur a vestris, meus idem circa ministerium consuetum, sub vestri magnitudine roboris perseveret illesus, sicque de indultu vestro, solite operationis reformato negotio, ad usum domini molat de cetero quod diu non moluit molendinum, ut tante petitionis impensam, que magna et maxima in genere petitionum pensatur, consecutor pro tempore, si locus affuerit, recompensem.

128.

Dilecto sibi et honorando amico domino Frederico Cullus plene benivolentie firmitatem.

Varius vestre continentie habitus, incommodus pro tempore, vel iocundus, sic me alterna dispositione permutat. Forsitan subire mereatur patibulum pro [delicto], cum tamen deliquisse peniteat vestrisque omnibus subesse mandatis statuat qui deliquit nec ulterius attentare. Et simile dignum conspicitur: ut penitens veniam habeat quibusque penitentibus non negandam.

129.

Inclite fidei habitu virtutum morumque ornatu varietate scientie iuris maxime utriusque notitia pleniori domino Iacopo domine Castellane, Iohannes de abbatia Subcastelli duplici precipue stim [...] Note: Spatio relicto
Inter alia diversa que opprimunt, egritudine scilicet rerumque penuria, sine intermissione concussus in obsecutionis effectu, se minimum, sed maximum in affectu, suppliciter brevem sui recordationem implorans.

130.

Quorum sensibus presentia scripta evenerint intimanda, rediens cum salute Bonfilius salutis plenitudinem universis.
Cum sit loqui communiter omnium, sit presertim eloqui pauciorum illud beneficio nature tributum nec hominis vires magnificet nec virtutem, hoc autem documentis et studiis viriliter acquisitum, homini preferat hominem eumque maioribus titulis et largiori opulentia prosequatur, [gaudentes] quod communiter loquimur non utique nostro merito sed nature ex arbitrio proprio, quasi nostrum sit meritum quod laudabiliter agimus, sponte nos arti mancipemus et usui probabenda, que vulgo non patuit insignis eloquentie disciplina, ut qui loqui cum pluribus novimus, cum paucioribus eloqui gloriemur. Ceterum quia rerum naturalium opifex et differentium munerum distributor nec pari singulos ingenio predidit nec dociles haberi ad singula omnibus indiferenter indulxit, profecto non ultroneo motu solum, non pede celeri, nec aditu inconsulto, sed consilio deliberato cum providis nostrum expedit utiliter formari propositum et legitime informari processum, ut provisio quibus et qualibet deputemur in subditos ob doctrinam, nichilominus attendatur, quod sicut rerum latibula et artium veritates introrsum conspicere est aliquorum, non omnium, ut predixi, ita quibuslibet ascripta non fuit habilitas, sed perpaucis aliis reserandi facilius artis iter. Ego vero de quo sermo publicus inter multos, ut [arbitror,] asserit quod, prosaice modificationis figmento convenienter edocitus, precepta novitiis habiliter non minus edisseram quam percepvi, ne videar temere magnificare rem propriam, si quod lingua pronuntiat actuale iudicium non firmaret, paratus sum ut prolata corroborentur effectum omnibus que de me suborriri [potuerint] dubiis per opus evidens totius subiungere fidei firmitatem. Itaque cum non nulli ex circumpose vicinitatis cultoribus priorem epistolam quam noviter edidi, quoniam spatio artiori contentam vilem ad modum ac velut ignorante dispositam opinari me per illam nichil prorsus, vel valde modicum, de prosaico documento contingere autumarint, presentem, preter principale propositum, illorum quadam inopinabili presumptione commotus, censi non indebite subscribendam, quatenus utriusque, prioris silicet et subsequentis pagine, attentiores coniectura verisimili teneant, quod, [quam] [num] breviorem [institui,] ampliorem confidere poteram, et iterum ampliorem.

131.

Sublimi ab humili scribitur; non tamen ipsa sublimitas humilitatis seriem parvipendite, sed, habendo Deum pre oculis, cuius ultima fuit humilitas, ex sequentibus verbis scribentis intentio patienti animo [colligatur]

[Page 44v]

Sane ad curiam quasi avidus deproperavi accessum ut, usu curiali preambulo, quo servato proficitur scientie precogitata perceptio, fructifice subsequatur ad usum, cum tamen primarius ingressus in curiam et locus ydoneus obtinendus inmodicam difficultatem [pretendant,] quam nequit humilis superare facultas, potentis cogor necessarium implorare subsidium minus potens, cuius itaque vestrum precipue, tanto securus quanto more beneficii benefacere vultis hilarius, et potestis tamen vacuus meritis, cum obsequia nulla premiserim que faciant implorationem audacem tanti patrocinium domini advicare, vereor ut indignus. Quid igitur faciam ut suggerat imploratori audatiam iuxta causa pro certo preconiis vestre sublimitatis insistam et magnificabo gloriam laudis vestre, quatenus merito laudatoris precamina securiora succedant, metuens tamen ne, si lingue magnificantis officio vestris institero laudibus extollendis, vos cupidos [inanis] glorie implicem et blandientis effigiem representem, vitande culpe respectu silebo talia, velut quorum suffragio tanti viri non indiget laus et decus attendens, quod lingue singularis applausi [quantumlibet] efferentis tantum titulis vestris qualibet dignitate precelsis acquiritur incrementum quantum inexauristi freti profunditas in cuius gremium singula confluunt flumina nec redundant ab ingressu particularis laticis intumescit. Quid enim expedit ut virum ineffabili cognitione [pollentem,] omnibus fere mundi climatibus manifesta, quem rethorem naturalem et loicum iurisque plenitudinem utriusque, omnique probitate decorum, adiecta morum honestate virtutibus omnium non fallente iudicio ?intelehei, [?] frivolis magnificare sermunculis et laborem ? Vos itaque non blando eloquio, sed Dei celo facilius inclinandos supplici oratione imploro, quatenus divine celsitudinis premio non merito precatoris inspecto, inter occupationes innumeratas quibus tenemini, non numquam menti vestre memoriter redeat scribentis ymago, ut quantum boni et gratie opitulantibus vobis in curia sibi provenerit, totum operi vestro de cetero ascribens, nutui vestro subiaceat animo et effectu.

132.

Note: Sembra trattarsi della mescolanza di due modelli di epistola

Dubito utrum eligere debeam de duobus, silere vel dicere, in quibus et qualibus valeo documentis. Si dixero me valere impluribus, iuxta verum forsitan, notabilis culpa me arguet tanquam improbum laudis proprie prolatorem. Fallitur enim qui se temere ore suo magnificat, quod sibi tanto [evidentius] detrahit quanto, dum se sublimiter opinatur attollere, persone proprie laudibus plus insistit. Si autem siluero, variam in qua valeo probitatem pro certo culpa graviori notabor, servi more improvidi a domino receptam peccuniam abscondentis: conscientia que latet in animo quasi iam mortua fuerit dum nulli fructificat, thesauro in agro abscondito, non proprio competitor respectu. Itaque maiora [minoribus] et minus utilibus utiliora preponens, noxiu evitabo silentium, ut utilem faciam [manifestande] peritie mentionem, ad quod non proprie laudis elatio, sed scientie que latebat ostensi me inducit. Habet utique communis opinio, quam roborat peritorum discussa probatio que non fallit, quod singulos modos et semitas, quibus organice canitur, in promptu gero pre manibus infallibili perceptione concernens, qualiter ab incepto regulari [modo] procedatur ad imum, dum is qui precanit et [subcantor] variis ductibus armonie invicem se permiscent dumque vocum habilitata concinnitas hominis sensum et spiritum utriusque voluptuosa rapit dulcedinem sibi totum, quod etiam titulo metrice cognitionis adiecto prosaici more opificis qualiter gravitate sensuum et hornatu rhetorico congrua disponatur latinitas non ignoro. Ad hoc si dogmate libeat reformare novitios quod, electo tenebrarum obstaculo, ignaris et insciis, me doctore, pateat via lucis: sic prolixa deproprio, hiliote habilito inconcina et lactentium exprimo exemplum quod ab antiquis accepimus, vestigia quorum sequentes caram nobis amicitiam vestram ascribimus velut [illis,] eamque volumus habere precipuam nunc et semper, huiusmodi formam boni nobis ex predecessoribus nostris relictam, successoribus vestris intemerabilem relicturi. Profecto civium quorumdam nostrorum ausa nimium et effrenis temeritas, dum noviter conscientiam vestram et communis voluntaria mens et preceps et avida mali sui adversariis vestris Senensibus se in favorem frivolum inmisereret ac in ipso congressu certaminis ex suo infortunio haberetur cum eisdem hostibus vestris expugnabiliter, more solito, captivatis vestre nichilominus vinculum captivitatis incurrit. Igitur cum brevis ille numerus qui deliquit prevalere non debeat preclaris meritis ceterorum ac dignum, si ut tantorum beneficiorum splendor nubeculam excludere valeat, huius culpe in in carcere iterum? culpa propria irruentes meritis nostris vincentibus carcere absoluvi, nobisque restitu [poscimus] cives ipsos de illate offensionis gravamine subiungere quantalibet satisfactionem parati, ut bona et etiam meliora pro indultis beneficiis pensaturi reddamur per huius implorationis obtentum similis et maioris in antea gratie debitores.

133.

Nobilibus et predictis viris domino Tali potestati et egregio Communi Perusii Talis potestas, Talis Capitaneus, universus populus et Commune Florentie salutem et benivolentie debite firmitatem.

Tanto ?ab Note: Aggiunto in interlinea (mano del copista)? universis vobis et singulis nostra cautius debuit evitari gravedo, ut nec Communitas vestra, nec Communitatis aliqui speciales se nobis irrogarent incommodos tantoque gravior est dicenda pro meritis a vestris illata nobis offensa, quanto, si sermonibus vestris consonat puritas animorum vos esse in tota dilectione fatemini magis nostros. Sane, si nostre gravitatis illatio vestris erat votis contraria ea

[Page 45r]

maxime que nobis a vestris indebita proveniret rursus si verum sit quod amicabiliter doleatis ac scribitis nos vestros in bello nobis oppositos reperisse talia utique prevenire ne fierent debuerat universale prohibitum ac omnibus vestris expresse pene preingeri decebat formidinem per potentiam vestram ubilibet ore preconio prouulgandam ut ab omnibus deinde offensionis nostre presumptio caveret. Igitur cum nichil horum que fieri ab amicis talibus pertinebat per vos, ut novimus, extiterit observatum cives vestros cum Senensibus hostibus nostris precipuis in carcere pro cetero teneri noveritis.

134.

Nobilibus et predictis viris et cetera.

Etsi a civibus vestris, quos in odium nostrum et hostile robur propensius voluntatis temerarie stimulus incitaret, graviter senserimus nos offensos, cum digne reputamus hostem, in qui cum hostibus nos indigne persequitur velut hostis, tanto magis et rationabilius odiendum quanto ipse, quam hostes habent, nullam, ut nos offendere debeat, causam habet, amicitie tamen vestre punitas clara nobis, cum civium ipsorum inmerita commissio in amicos vestris evenerit [molesta] precordiis, ut exinde prout decuit doloratis, obtinuit quod eis, qui offenderant graviter, offense penitus relaxata gravedine, eam vestri placide liberationis de carcere gratiam duximus erogandam, amicabili prece poscentes, quatenus consimilis culpe ne iterum committatur cautor sollicitudo preoccupet interventum.

135.

Ingenuo et urbano viro domino Tali Talis gratum in omnibus et salutarem sucessum.

Quoniam, cum accipitre vestro, de cuius multum sensi virtutibus, aliquot de cursu dierum vitam penes [aucaptionem] libet deducere in iocundis, michi eundem transmitti per presentium portitorem exposco, vobis statim cum velle vos eum contigerit remittendum.

136.

Note: Si tratta in realtà dell'epistola 4,1 di Pier della Vigna

Misericordia pii patris...

137.

Quibus presens legitur pagina, qui scribit Bonfilius omnibus vite decus et gaudium salutare.

Singuli pro certo inquirere cupimus viam celerem et habilem modum per quem lictere, nostre voluntatis interpretes, et eleganter et [proprie] stilo prosaico describantur. Hoc tamen bonum, quod sollicite querimus et laudabiliter meditamus, cito et proprie iuxta velle nequimus attingere, aliqui?bus Note: Aggiunto in interlinea (mano del copista?) causis obstantibus, quarum, si pateret cognitio, ab eis potissime caveretur. Caveri nequit periculum nisi notum: nam, cum fallant nos plurima circa nostre confidentie habitum, mendacium doctorum ignaritas, quibus imperitiam nostram erudiendam subicimus, magis fallit; satis enim incaute confidimus prodire lucem ex tenebris et ignorantiam eici per ignaros. Restat igitur, si proficere volumus, quod quilibet velle debet ut non omnibus, sed peritis dumtaxat, insolertia nostre regimen summittatur, ne tempus inutile defluat et tandem, dogmate vacuos, miserabiliter reperiri se defleant qui circa in [annum] magistrorum doctrinam, quasi penitus otiosi extiterint diu et stolidae, infructuosa tempora deduxerunt. De me autem, ut fine utar breviloquo, qualis in opere fuero, talem censoris lingua me proferat ab experto.

138.

Parvus ego potentia, sed devotione non parvus, et si multa non fecerim, cum tamen multa fecisse voluerim, gratiosa cordis affectione munitus ad vos cum securitate recurro velut impotens ad potentem, ianuam benignitatis vestre, que subditis et amicis absque difficultate se aperit pulsatuero fiducialiter pro amicis, ut patere michi debeat aditus et exaudienda oratio non negari. Primo igitur me ipsum, presbiterum J. subsequenter meum precordialem amicum vobis per omnia recommendans, pro ipso et ipsius negotiis, ut melius gerantur in antea, vestrum auxilium et favorem propensiis erogandum imploro, quatenus mee devotionis obtentu vestris pro prefato presbitero, interpositis viribus, ad ecclesiam sancti Bartolomei de [virtute] vestra liberum et securum se gaudeat obtainere regressum et ibidem

[Page 45v]

solito more moram deducere liberam et tranquillam; qui, licet actenus usu iuvenili deliquerit, ut etiam grave quod gratulans singula pro voto succedere quibus gratuletur amicus si quibus leditur ea contrario sub eventu insurgant amicabiliter nequeo non elidi, quippe ne vestrum moleret, ne solitum emolumentum rependeret molendinum cause sola ingnotio prepediunt. Poterat etiam molere ac sine intervallo proficere rebus michi sic actenus, velut modo patentibus que latebant. Igitur molendi negotium quam cito provida sollicitudo reformet redeatque vadat ad nutum pro rerum oportunitate ac maneat is cui gubernaculum continuandum incumbit penes aditum discessum et statum omnis offensionis inmunis cuius oratio propriam reputare offensam pervium habens et minimum vestre petitionis effectum si ad plenum quem habeo maiora conferendi affectum petite rei collatio devolvatur.

139.

Omni preferendis honore viris discretis et providis potestas capitaneus et Commune Burgi statum continue felicitatis ad votum. Execrabilis diffamatio notandum tanquam innumeris pollutum sceleribus quem publice strate predonem nocturnum [incendiarium] alieni raptorem et furem necis inpavidum et sedulum commissorem atrocitatis cuiuslibet experimento probatum pacis emulum bellique alumnus, scismatis avidum, adversarium viris, improbum communis [tranquillitatis] et quietudinis turbatorem, odibilem breviter omnibus et infamem linguarum multitudo proclamat et approbat universa vulgaritas. Iuvenem quendam, Johannem nomine dictum, referrimus in nostre noviter capture laqueum irruisse fidis modo [compedibus] subiacentem. Nostra quidem pariterque omnium generalis habet opinio illum pernitie quadruplicis extitisse consortem, qua duo ex vestris nostrorumque totidem ratione qualibet innocentes, impio paulo pridem trucidante gladio, corruerunt et ideo ut pro debito culpe legitime decernatur incurri ac, plena causarum preveniente indagine, rectum iudicium progrediatur ex causis, ad vos, velut tanti dispendii nunc expertis expertes, huiusmodi relationem premisimus, ut qualia de prefato senseritis, an precipue manus suas contagio maculaverit dicte cedis, latore ad vos deferente presentium notitie vestre fideli programate committatis.

140.

Viris industria pleniori prefultis Potestati, Capitaneo et Communi Burgensi amicis libito affectuoso dilectis, Potestas, Capitaneus et Commune Aretii benivolentie solite incrementum.

Ob recentis enormitatis eventum, IIIlorum scilicet personarum excidium, ubi aliquid cause non prefuerunt, attentatum, vestris merito citatis impetuose spiritibus, in vindictam ad reorum notitiam, agnitorum capturam, captorum examen, examinatorium confessionem, dampnationem confitentium, et damnatorum patibula, causis meritoris infligenda, vehemens subivit cura negotium affuitque sedulitas operosa in comitem, quibus ultio indilate contingeret, quam pro commodo singulorum communis meritisque peccantium necessario fieri adjuncta honestati iustitia suggerebat. Ceterum, licet plures notitie nostre fuerint delati malefici, quibus infanda commissio facinorum presumptorum ascribitur, iuvenis tamen, apicibus vestris expressus, cuius vobis infamia persone culpabilis conjecturam relinquit, velut patrate nequitie particeps nostris sensibus nominandus, ab aliquo non occurrit. Itaque, ut, servata iustitia et spreto quolibet minus iusto, plectatur pro meritis ipsius innocensque perseveret impunis, ab examine recto veritas investiganda dependet, per quam reus supplicio traditur et non reus innoxius preservatur.

141.

Arduis insignito virtutibus egregio proceri, domino Alberto Tales Burgenses se ipsos et continuo provehi meritis famosis et actibus in sublime.

Proloquo fatigaremur inutili supervacue paginam protrahentes in longum si, quam candida et quam immobilis steterit ab animo exorta fidelitas, quam ad vos magister Gregorius, quasi reverens ad timendum, ad amabilem fidus, ad honorabilem subditus, portendebat, multitudinem haberetis [inculcatam] sermonum loquaciter impresenti ostendere molliremur, de qua totius operum [repetita] cognitio efficax ingenerare potuit argumentum. Nam, dum noviter sub vestri spetie nominis dissimulata malignitas gravi etiam depositente articulo ut dicebat, prevalidi silicet interventu langoris, ei ad vos instanter subitum persuaderet accessum idem qui totus obsequiis vestris et nutibus intendebat, ne sui providus fieret, ne ve aliquid nocitum proriperet aditu absque deliberatione arrepto, dum currenter gressibus animosis ad itineris prosequendi celerimum anxiaretur egressum in auditu fraudis decipulam persone quidem ac reale dispendium atque dedecus longeve memoriationis incurrit, quod ubi lateat vel ubi confusus teneatur in vinculis an adhuc vitaliter respiret cum vivis vel humanis omnino terminatis convictibus letaliter sit translatus ad mortuos ignoratur, cuius pernitiosa conditio miserabili consideranda respectu et si ceteros non in merito moveat, tanto vobis, ut credimus, patibulo graviori sentitur, quanto qui talia immerito patitur, gaudium de vestra sibi beatitudine profluens iocunditatibus ceteris preponebat. Ut ergo agricola, penes relictam de semine fertili telluri commisso fiduciam fructificum assequatur effectum ac subiecta devotio, que pro beneplacito domini, fidelem semper exercuit clientulam? clientelam? incomparabilis gratie munere glorietur, tamen iminens singularis neccessitas qua maxime patebit qui diligit opere habitum credite dilectionis ostendat ac dum licet tanteque rei negotium exigit quo maius contingere posse non creditur.

[Page 46r]

per unius diei compendium dierum plurimorum obsequia compensentur quatenus vestre optulationis adductu quam breviter repertus qui latitat et qui timetur non vivere de vite laqueo calamitose abductus, solito fortius serviat; de cetero fortius obligandus nosque singulis ad omne quod velitis iniungere fidei permansure secum trahat.

142.

Dilectis sibi Talibus de Burgo Albertus de Monteacuto se sincerum in omnibus cum salute.
Amicitie merito per quam diversi corpore animo fuerit, idem cogit ut doleam et condoleam in adversis amico casus [turbanis] noviter in magistrum Gregorium insurgentis, quod, veluti ab eodem geniti parente fuerimus, sic michi graviter ferendum incumbit quicquid predicto incutitur gravitatis, qui, ut quam vestra pretulit series, eandem sermo presentium referat veritatem fidemque vigebat, affectum subiuncis roboravit operibus, quibus, ne fallat probatio de si necessitate colligi dilectoris. Attenta quidem et debita cura fuit atque attentior latebras quibus tenetur implicitus reserandi, ut de manibus impietatis eductus, regressum letificum ad suos citra plenitudine sospitatis intendat, quibus sub ambiguo positis iugiter copiam meroris infundit, quod paulo ulterius faciet Deo clementer voti quod communiter gerimus indultore.

143.

Sapientia tota et nobilitate formosis dominis tali potestati tali capitaneo Antianorum famoso populo et excuso Communi Florentino talis potestas et universum Commune Perusii augmentum optate semper beatitudinis et honoris.
Audacter scribimus non ut malorum defendere intendamus malitiam, sed ut merita bonorum digne acceptanda fore ab omnibus eloquamur. Pure utique dilexit et diligit communitatem vestram nostra communitas, nec recolitur offendisse in aliquo nostram vestram, in melius incalescat. Ego vero de bona continentia vestra et statu tanto uberius gratulor quanto ad id fortius animarum vestrarum salubritas et patrie originalis dilectio me invitat.

144.

In Christo venerabili patri pre omnibus domino Stefano dei gratia episcopo Prenestino suo benefactori unico et tutori, Andrea gubernatrix monialium sancti Leonis de Burgo Sancti Sepulcri de ordine sancti Damiani, indigna tamen et peccatrix mulier, cum universo eiusdem loci conventu ad omnem reverentiam se subiectas.
Idoneum iustumque fore prospicimus ut nos devote ac humiles filie vobis pio utique patri benigno domino et legittimo presidi quecumque vobis incommoda et maxime formidanda incumbunt reddere quam cito notoria festinemus. Idemque serie intimamus presentium quod noviter fratres minores, timendi nobis merito et diligendi ut patres, non absque admiratione nostra, turbine ac dolore a nobis postularunt instanter ut expresse ac plenarie fateremur autentica prolatione firmantes quod ipsi actenus et nunc usque non iure, non debito intercedente, nec usu, officium nostre necessitudinis gesserant, sed solum de gratia nutuque libero fragilitatis nostre supportarunt honera et solaminis oportuni misteriis ultroneos se dederunt. Adiecerunt etiam ut, publico incidente contractu, solemniter pollicemur eisdem quod non per nos, nec per alium, tempore ullo curabitur qualiter ob nostre commoditatis obtentum aliqua in eorum, vel preiudicium, vel contra sui ordinis libertatem ab apostolica sede indulgentia impetretur, dantes super hoc nobis singularis tantum diei spatium ad responsum. Nos vero inter arta posite ut coacte respondimus breviter nichil horum nos agere preter conscientiam vestram? vestram conscientiam? et consensum. Hinc est quod fratres ipsi, qui nostram inbecillitatem ortamine continuato et monito confovebant, ab eorum revocati maioribus confestim de loco nostro ingressibiliter se cesserunt. Igitur meticulosis circundante fluctibus et concusse more navicule, gubernatoris presidio destitute ac exinde merore continuo, irriguis lacrimis, suspiratione frequenti et inefabili calamitate confecte, salutis necessariam anxiamur ad portum, oportuno et celeri refoveri solamine appetentes, tanto flagrantius quanto sexualis fragilitas, simplicitas mentium, ipsaque tenebrosa permancio, quibus omnibus agimus, pro nobis alienum succursum instantius interpellante ad vos ideo ut portui applicemur fidissimo, verumque nostre destitutionis remedium inquiramus, cum non sit alius in terris quem debite teneamur requirere, nec velimus, integre spem nostram convertimus et obtainendi voti certitudine non caremus, supplici petitione orantes, quatenus clementi oculo intuendo quod predicti fratres nostris tam longevi temporis tractu subventionibus institerunt, quos vite meritum, benignitas cordium, ordinis sanctitas, et sedula tam diu conversatio in patres nobis et intimos recommendant, de quibus pariter, ut de nobis ipsis confidimus et contente sumus per totum efficaciter curare digemini? dignemini?, ut quam citius ipsi profectibus nostris solitis restituti, de cetero statu nobiscum immutabili perseverent, nec ullam pro deo sub huiusmodi alterationis articulo contingat circa nos fieri novitatem; per hoc enim, ut creditur, precellentia vestra divine ac humane gratie uberius fortiter aumentum, nosque semper in vestre felicitatis affectum, licet nostre sit minimus imbecillitatis effectus, libito saltем redditum prouiores opinantes eo magis meritum benefactoris augeri quo patentius indiget is cui benefitum erogatur.

145.

In Christo venerabili patri pre omnibus domino salutem dei gratia episcopo Prenestino A. gubernatrix monialium sancti Leonis de Burgo, de ordine sancti Damiani, indigna plurimum et peccatrix mulier, se ipsam in devotione plenaria commendatam. Impar viribus deferentis honus, quod continuo defero, me intollerabiliter opprimit ac plurum

[Page 46v]

negotiorum varietas, quibus iugiter occupor mee comparata scientie nimium scientiam superat ne talia possim gubernare salubriter nec deferenter. Ipsa quoque, meritorum paupercula nudaque virtutibus, proficio michi parum per operam et alius per exemplum; dum enim {regimini} Note: Lettura incerta alieno intendo ?a? Note: Aggiunto in interlinea (mano del copista) Deo aliorum cura me [prependit,] quod proprie invigilare prefectum non permittor. Appetens igitur proprie salutis operibus plenius superesse, quam lucris et honoribus ceteris superpono, et ut in statu minori michi valeam prodesse, uberius subesse potius eligens quam preesse, cedendi huiusmodi pernitioso michi officio gero ineffabilem appetitum. Ideoque attentissime supplico quatenus honus meis importabile humeris ex me, pater piissime, in personam transferre dignemini fortiorum, michi ac duabus pariter sociis meis de civitate Perusii eandem tecum fervidam voluntatem habentibus, ut ad locum pristinum monasterium, silicet sancte Marie de Monte Lucis, ubi plenioris consolationis fomentum habebimus? habuimus? revertamur, plenam misericorditer licentiam indulgentes. Quod nisi per tenorem et latorem presentium vestra benignitas duxerit indulgendum firmissime ad presentiam vestram personaliter me duxi quam brevius transferendam.

146.

Religioso viro et honorando in Christo fratri B. de ordine minorum domini episcopi [Prenestini] penitentiario et capellano A., indigna licet gubernatrix monialium sancti Leonis de Burgo Sancti Sepulcri de ordine sancti Damiani, divine pro meritis dilectionis obtentum.

Intimus et spiritualis affectus maximeque utilitatis intuitus quam intendo me harum seriem secure aspectibus vestris committere induxerunt, qua propensius flagito quatenus singularem dominum meum episcopum Prenestinum, ut quam ei latore presentium destino paginam efficaciter exaudire dignetur, alloquio animoso et congruo moveatis. Ipsa utique, quam eidem stilo supplici porrigo, favore vestro indulta michi petitio de quo spero me devotam vobis de cetero devotiore servabit.

147.

Domino Rainerio rectori ecclesie de Curte et Clarimbaldo Berterimus merite subiectionis affectum.

Patrui obitu, nimis longe post obitum, solum diebus nuper preteritis intellecto - nam magister meus, iam diu funeris conscius, tan diu michi voluit lugubris intimationem funeris reservasse - eo dolore quo puerum, sed subditum et fidelem nepotem de tanti patrui, quin potius vere patris, privatione utilis et benigni doluisse condecuit - sum attritus, quod gemitu tanto interiorum compungor, spe suffragii singularis privatus, summum et irrecuperabile bonum me sentio amisisse, sed quia taliter perditum continuatio lugendi non reparat paulatim dolorem inutilem temperans, ut lugere desinam, cum non prosit post luctum viam consolationis, inquiero, quin desinat quicquid esse in tempore incipit, non ignorans nec dubitans ad solaminis plenioris augmentum, quin exitum bone vite patruus idem habuerit ad salutem, qui ut clericus recte vivens, corporis et mentis munditiam stabili observatione procurans, boni famam obtinuit, opinionis bone iudicio non fallente, eo tamen interior spiritus turbine graviori torquetur, quod ei abesse contingit? contigit? dum obiret, qui me infantulum, genitorio more suscipiens in alumnum, nunquam meis dum viveret adesse gubernabiliter commodis recusavit. Vos igitur, o pater et o sobrino, in dominum reverende, qui circa viventem dominum nostrum communiter, ut de sua egritudine sanus, omnino succederet qui decessit, nec non et circa ipsius exequias, et post ipsas, nichil eorum que fieri attinebat, velut opinor, et decuit, omisistis, vivite, precor, incolumes, bonorum semper [participes] Note: Con ci aggiunto in interlinea (mano del copista)], et contrariorum exortes, quatenus solite virtutis vestre propter soliti coadiutoris decessum, spiritu non remisso in aliquo, set fortius invalente, de bono semper ad melius promoveatis viriliter vos et nostros, ita quod mei nichilominus [longinqui] memoria sic vestris hereat mentibus, ut propinquai.

148.

Distantia conditionis inspecta, humilis utique ad sublimem, velut infimus tanta domino mentis conceptum insinuare, {verbali} terrore tamen emiso, utor in necessitate audacia quam vestre celsitudinis mansuetudo inducit, presentem porrigens paginam, quam sensus brevitas edidit, vestro reverenter aspectu committendam, cuius pio spectamine animadverso tenore, utinam *Note*: Con tilde e forse in margine segno per us quod exoro scribentis libitum propositum assequatur effectum. Nam inductu sedulo monitus et avida docilitate precintus ut, relictis minoris scientie [rivilis], austum fecundioris fluenti peteret, sitibundus curiam censui commode perceptionis intuitu adeundam; ad curie tamen introitum inmobili sera preclusum, labore diu fatigatus inutili, adhuc foris excubo, ad quietem intraneam non admisus, quod sub tante prorogationis diffugio inane puto ulterius prestolandi consilium. Si quid incognite futuritatis infinitas repromittat, sed, ut gravibus graviora subscribam et maioris obice difficultatis petitoris instantia repellatur, ecce quod mensure nescia et ab omni opinione diversa [paupertas] et victuum caritudo incumbit, ut exiguo tempore frivolis dilabatur in sumptibus quantum prolixior sollicitudo [preparaverat]. Compulsus igitur alterum de duobus eligere, vel curiam matrius introire, quod nequeo, vel, quod pudentius agam, ad propriam?propria? retroire, ne quod vereor accidat, pudendo scilicet repatriationis eventus, clementis animi favorabilem interpelllo [subventum], pensans quod beneficiorum quorumlibet apud deum et homines nichil perit.

149.

Scriptorum sedula contemplatione referti, quibus totiens absentia [vestram] libuit revidisse, argumentum complectimur evidens quod amicum linea [protentiori] semotum, cuius stabilem geritis in corde memoriam, multo hilarius quam epistulari compagine visuali colloquio impresentia positum foventis, gratum utique censentes et debitum laudabile

[Page 47r]

visitatoris affectum scribimus, quod si animo quem visitat?variis? curis implicitum detinet officiosa sedulitas pensandis paginis licuisset intendere pro cetero scriptio iterata multotiens mutuum et letificum obtinuisse rescriptum; nichilominus intime caritatis imago, quam pro meritis circa nos gerimus, sic nostris coheret precordiis, plenaria firmitate infixa, ut quamquam hora tardiori scripsierimus, locorum intervallo divisi, diligendi fervor [intensus] tepescere nequeat, vel quolibet interventu remitti. Sane idoneis precibus totaque honestate prefultis, quas admodum dilectus nobis frater noster Gutrefredus, domini pape penitentiarius et capellanus, pro parte vestra pridem nostro aspectui detulit exprimendas, tamquam plene acceptari debentibus idoneum tribuentes assensum easque benigno prosecuturi favore volumus fructificum et acceptum habentes, ut in vestra que instinctu superno de novo basilica ponitur effectum ad movenda felici capellam que Alme Virginis intituletur vocabulo, scemate specioso productum in qua, etiam ob nostre salubritatis aumentum divinis cotidie celebratis misteriis, ad dominum iugiter vota fidelium profundantur pro nobis institui facere decenti cura et opere disponatis, cuius rei respectu istuc, quam celeri delatione ferendas, libras CC Pisane monete mercatorum sollicitudini committemus, assiduis orationibus vestris et fructum nostre semper fragilitatis auxilium commendantes.

150.

Utinam eventuum preteritorum memoria plerumque mentibus vestris occurreret repetenda ut, spiritu plenioris discretionis accepto, quid vobis evenerit, actenus in devio positis, [quidve] post modum ad viam veritatis regressus diligent et infallibili oculo intuentes, per opportuna remedia preteritis malis succurrere bonisque instare presentibus et instantibus obviare periculis, virorum more prudentium curaretis dudum, prout plene recolitis, quod etiam si velitis oblivioni tradere, passionum in animis remanente vestigio, non possetis, quadam inopinata perversio prevalente vesania, qui credebamini filii, merite fidelitatis alumni, cessistis ut reprobi a filiis in privignos ab unione fidelium et matris ecclesie gremio facti procul, ut materna devotione postpositam matris et non verentes offensam nevercalem, foveretis sevitiem et sevienti perfidie, omnibus votis et viribus faveretis; sed quid exinde profecto, ut germina quelibet suis sint annexa principiis mitisque premia condigna [reponderet] et effectum parturiat proprium queque causa, ne diutius inconcussa persisteret placida tranquillitas status nostri, successit adversarius stimulus ad quietem bellorum, scilicet preparativa discordia rerum et hominum periculo [contingente;] nam culpis vestris prementibus, ut clarissimus Dei potentiam sentiretis, non numquam in manus hostium casu bellico incidentes, spoliis utique [translati] in hostes, hostili etiam captivante Victoria, carcereum diu patibulum cognovistis, quod vobis denique in excommunicationis sententiam temeraria [transgressione] cadentibus, quam gravior merebatur excessus privatio sacramentorum non defuit in periculum animarum et corporum non absque terribili civitatis vestre infamia et de risu prolixi temporis temporis spatio duratum, ut deo et mundo proinde facti hodibiles et despecti tanquam inopinabili obstinati perfidia et pravitatis heretice non {inimunes} Note: Lettura incerta celum, terram, et maria totamque pariter elementalem compaginem, merito processibus vestris contrariam haberetis, postmodum vero, gratia subveniente divina, post recognitionem letiferi status unde vobis ad pie matris redeuntibus gremium ut gratie restitute divinitus subito salutarem perciperetis effectum, omnimoda cepit arridere [prosperitas] quod, victis hostibus, reportato magnifico maris et terre triumpho, successit bonorum temporalium copia et pacis desiderabilis gratitudo. Set ecce quod qui tam recenti promissione vos beneplacitis ecclesie redidistis ut temporis brevitas vix adhuc siccare putuerit licteras, quibus recepte fidelitatis illitus est contractus, modo, prout sermo [publicus] asserit et operum potentia signa declarant, fidei tam cito imaginem delita et mandato summi pontificis vilipenso, in potentie divine contemptum, dispendium proprium et scandalum plurimorum tali aderere dispositionis et subesse ut, sub quadam improvide simplicitatis cautela malum cognitum, iterantes in peius canis more reddeuntis ad vomitum emissum cibarium, quod noxiun fuerat, iterum ingerati. Attendite, queso et obsecro, qualis et quam catholicus fuerit genitor talis, scilicet totius imperii, sed presertim matris ecclesie universalis, tirannus in damnatione perpetua vivens mortuus et sepultus eius cura et opere provinciarum et urbium inextricabilis succensa sedi? Note: Aggiunta in interlinea (mano del copista)? tio durat pernitosus quibuslibet, sed in brevi, ut cernitur, nec etiam de facili extingueda ut filiale consortium, quin potius usurpatum et exitiale dominium tanquam penitus fugiendum ab omnibus evitetur. Utilis itaque ponere pedem in lubrico ut illico corruiatis, ibi stolidae firmitatem querentes ubi non est aliquid firmitatis. Adulterina enim [plantatio] efficax incrementum non suscepit nec duri durabile presummitur opus cui frivolum subicitur fundamentum. Autumnale folium facili aura demergitur? demergitur? et aquatice spume fragilitas cito perit: ad premissa igitur que decus, commodum et salutem vestram respiciunt providentie vestre sensibus devolutis salutarium intentione verborum suscipe cum effectum, quatenus inveterate nequitie, fomite pereunte ac materne devotionis affectum stabiliter vestri inherente precordiis, circa fidei sincere culturam et matris obsequia sollicite peragenda de cetero universitas vestra non tepeat, sed de bono semper claritatem ut etiam fiducia discipline carentes preter spem suam et creditum optate metam scientie modo facili et spatio breviori contingant; et hec omnia que protuli de me ipso ne fallere

[Page 47v]

valeant dum diligent non fuerit examinata scrutinio celeri non credantur assensu ut fidem et fidei sue robur recipient ab experto. Siquidem ego novus et ignotus in curia gero fervidum notitie curialis affectum ut curie subvenire te doctrina plurium cognitione subcrescat, cum tamen habite facultatis sumptibus exigendis non competit dum tanta maxime virtualium ingruit caritudo vestre benignitatis auxilium invocare compellor.

151.

Ad scientie meritum quadam dilectione communi qua multi voscum multis vos diligent diligo tanto interius quanto aliquam forsitan magis aliquibus notitie vestre particulam comprehendendo. Itaque, si summa infimis aliqua ratione flectuntur, hac, scilicet, ut maioris minor impetrat gratiam devotionis gratuitate interventu, ego, qui, non muneric habitu, sed ardue virtutis obtento, amabilem vos habeo dominum, certissime gratus ero. Tamen, si animi sola devotio, nisi meritis fuerit communica maioribus, gratie vestre non competit obtinende quid amplius potero devotioni adicere tanto domino merito placitum? Assumpto si quidem commendationis officio, curabo magnificare loquacius nomen vestrum, ut, lingue floride dum laudibus effluit gratitudo, ab eo, que pretio probitatis honorat, debende gratie premium assequatur. Sed dubitans ne, si eum procaciter obstentare quem experta singulorum cognitione aliis potiorem commendat, studio crassanti tentavero, iudicis non fallenda industria michi [imaginem] adulatoris presumat, cedam laudibus laudanti pari inutilibus eique minus letificis qui laudatur intuens quod plausore unico quantumlibet exuberante preconiis non amplius vestre titulus sublimitatis intenditur, quam stillo singularis adventu in pelagi gremium defluentis laticis sinuosa capacitas augeretur. Quid enim proficer, si composite verbositatis applausi nec admodum efficacis illum fuero conatus attollere quem, velut inclitum tenui speculatione tehologum, etiam plena canonis et civili notitia et breviter litterature cuiuslibet habitu institutum, adiecta morum honestate, virtutibus communiter et famose cetus hominum predicat universus. Sublatis ergo blanditiis quibus, ubi lucida regnat dignitas, non est locus, ceteris digne Dei presidium anteponens, eamdem cuius me gratia gratis habere dignemini commendatum quasi mediatorem legittimum interpono.

152.

Titulo generis et virtutum insignem et universi dogmatis intima cognitione famosum magistrum Iohannem de Capua precelsum domini pape notarium, quidam Bonfilius nomine, non agnoscens, nec agnitus loquela vel facie, sed habitu mentionis in tempore vivere feliciter et post tempus.

Improbe necessitatis articulo et sequentis utilitatis fiducia promovente, sine meritis sumit audatiam meticulosus affectus, quod, tanquam meritorum egenus, sed devotione non vacuus, sensibus vestris de gratie ubertate patentibus conceptum in animo enuntiare propositum non formido. Notifico igitur quod, provisa lucide probitatis agnitio, non tam habita quam habenda, que sincerius in curia colitur, ut curiam, in ea fructifice moraturus, adirem, consentaneum sollicitavi affectum. Verum, quia de curie aditu via non facili, sed arduo calle proceditur ad ingressum, ne liceat introire quibuslibet, sed predignis, ac sumptibus plena necessitas, quos victualium ingruens caritudo multiplicat, tenuem loculum spatio breviori consummit. Idcirco gravis ad modum et infesta conditio turbat et prepe[n]dit, ne sine ope alterius rei proposte valeat promoveri negotium ad effectum, cui tanta validum anteponit obstaculum difficultas, humeris utique leviora ferentibus, honeris prevalente gravedine quod incumbit, ne labori qui pregravat virium defectione succumbens cogar, dampnoso exuperante ludibrio, ab incohato negotio retroire, ab-ab ?ab? ab aliis potentiale refugium advoco necessario in sucsum et ab eis celerius, de quibus, velut potentibus et benignis, geritur fiducia plenior, ut succurrant. Porro fame inclite sonitu, quo vestra prompta [potentibus] publice predicitur benignitas, solidam michi fiduciam inducente, me vobis offero. Humili stilo porrecto fidelis more ut domino commendatum, rogatu suplici commendationi adiecto, quatenus non persona que supplicat, sed virtute que prevalet personali attenta Deo, quin potius preponderante duabus, persone scilicet et virtuti, ex scripto quod cernitur memoriter scribentis ymaginem reservantes curetis et libeat liberalibus fovere subventibus indigenti et impotenti subiungere fortitudinis brachium et vigoris per hoc, numine placato, ut premiet. Meque ut perpetim impositis vestris obtemperem obligato.

153.

Nature dogmatis et virtutis privatis inclito titulis magistro lordano Bonfilius incolumem tante gratie usum et multo amplioris obtentum. Loquendi timor, quem inopia meritorum inducit, tollitur, dum necessitudo compellit, et fit audax sperature commoditatis intuitu qui timebat. Quare, licet immeritus, de gratia uberiori confisus, audacter flagito pagine presentis aspectum, qua quod gero in animo propositum speciale refertur. Itaque, narrandi licentia credibili argumento indulta, narro impavide quod curialis peritie, que profundior ceteris iudicio communi firmatur, dudum et pluries, preconio intonante citatus, et augende çelo probitatis [inductus] ut in ea potiori dogmate reformante proficerem, curiam flagranter advi. Ceterum, pristina credulitate subversus, quasi fuerim opinatus inania, qui rei qualitate ignota, decrevi negotium aggredi de cuius ultimatione diffido, queror et doleo, quod curie aditus, velut termino limitatus immobili, non ultra protenditur, ut quesitum diutius curialem attingat ingressum. Iterum victualis penuria, honerosam comitata pauperiem, que modum non sapit, ut additus stimulo stimulus potentius persequatur, impugnat sumptibus,

[Page 48r]

quos brevi comitatus in forulo ferre diu non poterit peccunialis acervus. Dum tanta igitur utrobique perturbat aversitas iam delapsus in bivium ingnoro quid eligam, veritus ab incepto desistere ac inutile metuens insistere incepto. Set damnabile intuens et qualibet opinione probrosum ponere negotiationis initium et extra exitum operis initura interpolare processum, ad posse fatigari non desinam quod cum solus michi defecero viribus fautorum avocabo succursum et eorum pre aliis qui facilius animi pietate placantur et maiori prevalent potentatu ut pluribus subiunctis ad idem quod unus non poterat, multorum interventu contingat. Ideoque ne desertus ab omnibus miserabil modo in ultimo desperare compellar ubi tanta creditur multitudo piorum, iungite, queso, cum aliis efficax beneficium opis vestre promeritis dilecti a domino et michi semper in dominum reverendi.

154.

Non mea merita, sed vestre copia gratie, que se michi prima facie prebuit cognoscendam, suggerit ut geram de vobis fiduciam non inanem. Nam qui probos diligitis, cum ipsi non modicum probi sitis, inspecto quod insit michi aliquid probitatis, michi consimili vobis in aliquo, sed non pari, olim libitum dictionis pandentes, ut puto, post libitum monstrabitis dictionis effectum. Ad magna igitur non sine auxilio alieno promoti et ad maiora etiam auxiliantibus aliis promovendi, [vices] reddite ut potentes [opitulent] supplico in [potenti] quatenus, qui parvus videor, si maiorem me fieri accidat, ope vestra ipsa magnitudo, quantalibet tota vestris ascripta sit meritis et servitiis perpetim acquisita.

155.

Domino Boncompagno Bonfilius stabilem benivolentie pristine animum et aumentum.

Personarum absentia vestri oblivionem non genuit, quin vobis interior spectamine semper presens vos pre ceteris in dominum habeam tanquam liberum mee necessitudini subventorem. Curabo itaque, quam primo commodum aderit, ut Bertramus epistulas meas transcribat diligenter in vestras; quod idem effectui mandabo hilariter in vestre gratitudinis incrementum. Sane, qui iuxta corporis habitum vivo, communiter loquendo, incolumis, statum vestrum eis afluere omnibus peto et apeto, quibus plena hominis utriusque? [...] sopitas sanitas[?] convalescit. Ad hoc Guido de Castello scolaris, qui michi attulit transmissam ex vobis paginam, ut dicebat, cum non aliud, cum pagina ipsa, preter laborem afferret, spernens pauperiem p[er]auperati adipisci, pauper ego talem sub tali articulo non decrevi pauperem admittendum. His igitur examine convenienti discussis, minus prudentia vestra mirabitur, quod pagine iam dicte tenorem et ipsius intentionem latoris efficere [pretermisi].

156.

Virtute acuminis et actuum perfectione excuso magistro Bonfilio Boncompagnus, Castellanus canonicus, vitam sospitem spatio longiori productam.

Pre omnibus inquirenda thesauris licterature agnitio sibi me sue celo cupidinis et prive initio discretionis astrinxit, quod, quam censuit sensus [juvenilis] amabilem posterior etas diligere non omisit; tamen, ut quidam proprii pudoris emitam, quia commendabili voto scientie assiduum defuit studium sine quo efficax nemini doctrina paratur, incinere culpa scripture premor inopia, cuius immobilem gero sue merito dignitatis amorem. Sane, licet singula probitatis officia satis animo appetenda concurrent, tamen prosaice notionis qua careo specificus me detentat affectus cuius, ut sentio, geminat titulum utilitati gratitudo coniuncta. At, quoniam huius ardue rationis ingressum sine preduce tentare non licet, nec sine comite continuare progressum, ad id alterius expedit imitatione induci dictaminis {insoliterem Note: Lettura incerta}. Scriptorum igitur coartatus penuria vestrisque compositis cetera inferiora decernens, precor non meritis, sed affectu confidens quatenus intendere libeat qualiter ubi moram protraitis dictamina illa que a vobis, velut patre [primario] genita, meritorum in lucem et [patulum] prodierunt, scribentis talamo in meum de vestro volumine transponatur ut liber, urbanitatis indultu vestra, mea dicere non ut conditor, sed possessor, exultem pro quorum materia cartulari que subsit, et operatore qui scribit, XL solidos, ne desit utrique solutio, fidei latori presentium deputavi. Defectus autem si fuerit ullus, quam cito percepero ipsius adhibebitur plenitudo, hoc itaque avido imploratori concessum totum putabitur quod vix grandius, vel equale, benignitas poterit adire concessoris.

157.

Domino Boncompangno Bonfilius sucessum perpetuo salutarem.

Dum necessitas singularis ingrueret, beneficio liberali confotus quod promta manus et hilaris totiens porrexit, abinde fieri vitabo pro viribus liberrime provisionis ingratus, quod exinde tanto michi gravius debitorum honus imcumbit, quanto petitione non previa quam hec habenti meritum nec habendi fiduciam commodi suggerebat, sensi vos munere ampliato beneficos ut notabilis et passionis subventio memoriter protendatur in evum. Et ideo transmissi heris insperata oblatio eius opere, ut, scribitis, descripti negotii debeat parari effectus, multe michi principium exasperationis ingessit. Modus enim ille congruus pretendere videtur inditium, ne tanti vos faciam quod vestre caritatis eventu velim de proprio tanti sumptus compendium expedire. Sane odibili adulacione propulsa, quam candidus emulator ignorat, et

[Page 48v]

si pluribus more debitoris astringat [flagrantius,] tamen ad neminem benivolentie ratio me inclinat. Receptam insuper seriem cupide lego et relego duplici commoditate citatus. Nam apposita visui, absentis ymaginem presentat ad gaudium, ac pollutibus undique contexta loquelis festive [legentis] [intimum] remoratur, supervacue tamen volenti libitum suggestit animeque sollicito stimulum attentionis inculcat. Intimum namque votum seriem prevenit et subvenit quantumlibet pondus pro nobis, nisi posse presuperet subeundi, quod ipsis humilitate patente sumet opus orriginem, nullo interposito peragendum.

158.

Viribus et virtute fecundis generis adiecto fulgore dominis Talibus Talis merite compassionis affectum.

Etiam rumores adventu ~~velocius~~?velocius? pagina decurrentes vestris iam sensibus innotuisse potuerit, qualiter subditus se habeat in remotis {amicus}, libuit tamen articulo discriminoso cogente vestrum presenti programate propulsare auditum, cuius inditio, quasi nuntio veriori, propono quod animus et ratio sic se invicem rebus humanis immiscent, ut quorum prohibet imperium rationis effectum, ea effici, causa non nunquam prevalente, contingat. Hic utique ordo enormis nunc equum impie deprimit, nunc improbe attollit iniquum; hoc insuper processu [dampnabili] plerumque innocuus plectitur et qui se noxiū intulit evadere meretur impius. Nam, licet optabilis fortune benignitas reum actenus a penis eruerit, ut protinus abieret illesus, hore tam infelicitis eventus me laqueo comprehensionis impegit, ~~nunquam~~^{Note: Lettura incerta?} nusquam^{Note: Lettura incerta forse da un originale} *numquam?* postmodum, animosa transgressio [angusto] carceri demandavit insoltem, ubi miseri iacentem in tenebris fluxuque lacrimoso conspersum foris in corpore acerbitas infanda {pinget^{Note: Lettura incerta}}} pungitque interius pressure improvisa inflictio quam digna patibulo pravitas non premit. Cum itaque animos subeunte viriles presentium visu debite commota nobilitas perditum sibi properet recuperare ministrum iacere non solitum, nec diffugium querere dum poterat pro dilectis utiliter exerceri, ad quod ne fieri differat tum decus proprium, tum tris obliquitas in me nequit intuens dignus vos impellit. Ad quid igitur plura inducam? Pono quidem quod me, quem omnis innocentia protegit, ratio sceleris commissi statueret iugulandum, tamen talium et tantorum obtentum dum cohereat potentie votum parceret iugulo gladius, ne [...]^{Note: fant o faut con titulus amicorum tam avidus [...]} Ms. legge forse *interteret*. Iam ideo, [potentia] comitante affectum, ut suppicio favor assistat, tam promptus et efficax, ut, carceris amoto dispendio, libertas pristina celeriter rediens michi obsequiis amicorum subtracto animum obsequendi deinceps suggerat solito firmorem.

159.

Habendis inter alios in maiores ut generis titulo utriusque preluculent dominis Talibus Tales provisum semper in processu consilium et summe statum beatitudinis in successu.

Si argui meretur ut devius irrogare se noxiū alienis presumens qui suorum temere attentat iniuriam, ille utique clarioris culpe contagiose involvit, rerum sane provisor utilium utilem etiam se ignotis accommodat ut, quorum actenus agnitione carebat, [eos] tandem meritis sibi se alliget in dilectos. Verum, ne quicquid, nisi veridicum, insinuatio nostra de^{Note: Lettura incerta} promat, amicitie copia utiliter studuit communiri antiquitas; sed [...] medere[?] vite convitio bellorum, undique insolitis conclusa tumultibus, non minus oportune depositit amicorum presidio invalere. Quanta igitur ille se inuit temeritate postmodum qui necessitatis tam ardue meditatione rejecta, odibilem causam improvise ministrat qua quos tempora transacta peperant favendis privari fautoribus mereatur. Et ideo quod talis fuit deprensus inique, quod carceri deditus, quod ibi tanti transitu temporis immoratus muneri valdius cogimur quam spiru valente et viribus quamquam intimum çelatorem suorum cognita operum examine ratio profitetur. Hic enim {criminis^{Note: Lettura incerta}} qualibet immunitate sincerus rationis ab usu alterius tolerare delictum; hic placibili benignitate tractandus a quibus etiam perverse se gerens confoveri debuerat facinorose confunditur ab amicis, sed ut [malivolis] motibus et noxié promotis in actum properans medela succurrat ac precedens incautio corrigi sensu non differat potiori quibus nectitur innocens indilate a vinculis relaxetur quos iuris debitum cupido nostra partisque communis utilitas fieri persuadent. Ad cuius instantiam ne mora protraat dispendiosa negotium, subito vester ad vos, si petita non impetrant lictere, aditus subsequetur.

160.

Tales Tali spiritum in oppressionē potentem.

Quem noviter negotio licteris expresso perceperimus tua sinistre variata conditio quanta nos mentium asperitate commoverit et qualiter, ne diu talia perferas, çelo intimo stimulante, citemur, tibi verius ab operum insinuatione clarebit. Spem igitur solidam absolutionis celerrime de nostro suffragio colligens, omnis ab animo doloris tedium promove, ac nove libitum recreationis assumme, votum precipuum paulo amplius ~~retinere~~?obtinere? securus. Ad cuius inditium ecce quod iam ad comitem et ceteros partis Aretine ductores epistola nostra procedens qua noster omnibus lucide effectus exponitur, tibi statum ad quem totus hanelas, carceris assequetur egressum. Interea tamen, ne quam tibi suggestimus te nobiscum fiducia frustretur inanis ac nostri favorem presidii tibi salubrius intuearis adesse, ad eos quibus nuntius licteralis premittitur corporeum protinus aditum intendemus.